OBSERVATIONES CRITICAE

IN

CLEMENTEM ALEXANDRINUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE ERLANGENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

OTTO STAEHLIN

REUTTIENSIS.

ERLANGAE

TYPIS FRID. JUNGE, TYPOGRAPHI AULAE REGIAE BAVARICAE
ET UNIVERSITATIS ERLANGENSIS

MDCCCXC.

I.

De codicibus et editionibus.

Clementis Alexandrini scriptis usque ad hoc tempus paucos admodum viros doctos operam navasse iure mireris. Nam digna profecto sunt, in quae et philologi et theologi studium conferant. Utrique enim ex iis satis multa expromere possunt haud spernenda. Peritissimus quidem fuit Clemens litterarum Graecarum atque multa solus nobis tradidit fragmenta philosophorum et poetarum, quorum scripta aetatem non tulerunt. Ex ipsius autem admonitis praeceptisque optime intellegimus, quales illius aetate fuerint mores, qualis totius vitae cultus.

Theologorum autem plurimum interesse Clementis scripta cognoscere neminem fugit, qui sciat, quantum ille ad doctrinam Christianam conformandam atque excolendam valuerit. Tertio quidem et quarto saeculo maximam eius apud omnes Christianos fuisse auctoritatem vel ex uno Eusebii loco scimus. Nam cum veterum auctorum testimonia quaedam a Clemente laudata commemoraret, eorum verba subicere prorsus esse supervacaneum dicit, cum ipsorum Clementis scriptorum quivis copiam haberet. [Praep. evang. X, 2, 3: *Περιττὸν ἐμὲ καταλέγειν τὰς φωνὰς προκειμένης τῆς τἀνδρὸς γραφῆς.*]

Ac postea quoque eum magni aestimatum esse scriptores ecclesiastici plurimis locis ex eo laudatis probant.

Multas autem difficultates Clementis scripta nobis praebent. Neque enim textus ita nobis traditus est, ut ubique ipsa Clementis verba in editionibus legi pro certo affirmare possimus, et sententiae auctoris ipsius aliorumque, quorum verbis utitur,

saepe tam obscurae et reconditae sunt, ut divinandi facultatem requirere videantur.

Attamen si quaesiveris, num his difficultatibus par sit labor, quem impenderint viri docti post redintegrata antiquarum litterarum studia usque ad hanc aetatem, quattuor tantum viros invenies, qui ad Clementis opera et melius recensenda et melius explicanda aliquid memoratu dignum se contulisse recte gloriari possint, Petrum Victorium, Fridericum Sylburgium, Joannem Potterum, Gulielmum Dindorfium. Quorum de editionibus nunc paucis agamus.

Petrus Victorius admonitis precibusque Marcelli Cervini*) cardinalis Sanctae Crucis permotus eiusque auxilio adiutus Clementem Alexandrinum primum edendum curavit apud Torrentinum typothetam Florentiae 1550. Dedicavit autem librum ipsi Cervino et in epistula dedicatoria, quanti Clementem faceret, multa oratione praedicavit. Vide praef. in Victorii editione p. 3. 4 et Kaemmelium disputantem de „Petro Victorio“ in Annal. Phil. et Paed. 94 (1866) pag. 148.

Pauca tantum huius editionis exemplaria Alpes transmigrasse videntur. Sylburgius quidem in epistula dedicatoria editionis suae de summa exemplarium raritate loquitur neque ullum editionis illius exemplar toto vicennio se invenire potuisse dicit, donec ipse Victorius suum e propria bibliotheca ei mitteret.

Anno post editionem Florentinam Hervetus interpretationem Latinam edidit, sed non multum ad Clementis opera facilius intellegenda contulit, quippe cum interdum ita esset obscurus, ut interpretationis interpres esset auctor, ut Heinsius dicit in praefatione editionis suae.

Sylburgius deinde Hieronymo Commelino auctore denuo Clementem edendum suscepit, adiutus autem est a pluribus viris doctis, Theod. Cantero, Joh. Arcerio, Dav. Hoeschelio, Georgio Remo. Editio in lucem prodiit Heidelbergae 1592. Optime de Clemente meritus est Sylburgius permultis erroribus editionis Florentinae emendatis et praecipue duobus indicibus editioni additis, quibus nunc quoque nemo carere potest.

Insequenti saeculo complures editiones factae sunt secundum Sylburgianam, quarum una ex recensione Dan. Heinsii

---

*) Idem postea papa erat nomine Marcellus II. anno 1555.

prodiit Lugd. Bat. 1616, aliae Paris. 1629 et 1641 et Colon. 1688.

Editionem autem omnibus partibus auctam et emendatam debemus Joanni Pottero, episcopo Oxoniensi, qui novis collatis codicibus manuscriptis multisque Philonis aliorumque locis comparatis et Sacrae Scripturae quoque verbis adnotatis permultum adiuvit ad Clementis operum meliorem notitiam. Cuius editio emissa est Oxonii 1715.

Paucis annis ante Nicolaus Nourrius, doctus monachus Ordinis Sancti Benedicti, libro tertio apparatus ad Bibliothecam Patrum diligentissime egerat de scriptis Clementis Alexandrini.

Secundum Potteri editionem plures editiones publicatae sunt, in quibus sunt Oberthuerii editio Herbipolitana 1780 et Reinholdi Klotzii Lipsiensis 1831. Quae editio quamquam nunc multorum in manibus est, tamen longe inferior Potteri editione et paene inutilis est. Nam et optimis illius adnotationibus caret et in ipso textu multis verbis integrisque versibus omissis pravisque emendationibus receptis saepe legenti fraudi est. Ipse quidem Klotzius non id sibi propositum fuisse dicit, ut „aut novis libris anquirendis aut aliis adiumentis criticis undique conquirendis novam illorum scriptorum recensionem institueret, sed ut quae optima haberetur editio, eam litteris mandaret ac si quid aperte peccatum deprehendisset, id corrigeret atque emendaret.“ I. praef. p. V. Aucta est Klotzii editio scholiis Parisinis tum primum editis.

Deinde Clementis opera de integro recensita edidit Gulielmus Dindorfius quattuor voluminibus Oxonii 1869. Neque tamen tantum praestitit, quantum a viro doctissimo exspectares. Non eum ea, qua opus erat in auctore tam difficili, diligentia usum esse inter omnes viros criticos constat. Acerbissime de eo iudicaverunt P. de Lagarde (Gött. gel. Anzeigen 1870, XXI, 801—824, repetitum in „Symmictis“ I. Gött. 1877, pag. 10—24), J. Bywater (The Journal of Philology Vol. IV, Nr. 8, p. 203), Westcott (Dict. of Christ. Biography by Smith and Wace I, 566*).

---

*) „The last edition by G. Dindorf is in every way most disappointing, hastily put together, incomplete, and in almost every respect below the standard of modern scholarship, so that it simply closes the way against a satisfactory edition of Clement, which is still greatly needed.“

Et certe si quis accuratius perlegerit Clementem, plurimis locis errasse Dindorfium vel neglegentissime eum egisse inveniet. Quod verum esse paucis exemplis allatis apparebit. Primum quidem errores Potteri et Klotzii ne in sua quidem editione emendavit, ut eum sine iudicio iis usum esse manifestum sit.

Velut Pott. p. 71, 29 et 35 ad Clementis verba: „*σὺ δὲ, ὦ Τιμόθεε κτλ.*“ et postea „*θεοπνεύστους ὠφελίμους οὔσας κτλ.*“ recte adnotavit: „2. Tim. III, 14. 15“ et „Ibid. 16. 17.“ Klotzius I, 73, 32 et I, 74, 7 perperam mutavit: „Ep. ad Timoth. II, 14, 15“ et: „Ep. ad Timoth. II, 16, 17“ neque quidquam falsi suspicans Dindorfius I, 92, 4 et 9 scripsit: „Ep. ad Timoth. II, XIV, 15“ et „II, XVI, 17“, quasi secunda ad Timotheum epistula sedecim capita haberet.

Aliud exemplum hoc est: Eclog. Prophet. 42. (Pott. 1000, 6; Kl. IV, 45, 14; Dind. III, 471, 5) omnes editores adnotant Ps. 17, 16 pro Ps. 17, 26.

Adumbr. in ep. Joan. Kl. IV, 63, 28 et Dind. III, 487, 35 praebent 29 pro 19, quod recte legitur apud Pott. 1010, 56.

Quae quamquam leviuscula sunt, tamen Dindorfium Klotzii editionem multis locis sine iudicio secutum esse demonstrant. An tales errores corrigere non fuisse censes eius, qui auctorem de integro recensendum susceperit?

Hoc quoque exemplum nimiae socordiae signum est. Apud Pott. 756, 26 leguntur haec verba: „*θεῷ — φωνὴν καὶ φαντασίαν ἐγγεννῆσαι ἀκοῇ δυνατὸν . . . εἰς ἐπιστροφὴν τῆς μηδέπω πιστευούσης ψυχῆς καὶ παραδοχὴν τῆς διδομένης ἐντολῆς*“ optimo scilicet sensu: „Deus potest vocem et visionem auditui ingenerare ad convertendam eam, quae nondum credit, animam, ut accipiat id, quod datur, praeceptum.“ In Klotzii autem editione III, 118, 4 vocabulum *ψυχῆς* aut ipsius aut typothetae errore omissum est. Crederes Dindorfium hoc correxisse. Vide autem Dind. III, 155, 16, ubi haec verba leguntur: „*εἰς ἐπιστροφὴν τῆς μηδέπω πιστευούσης καὶ παραδοχὴν τῆς διδομένης ἐντολῆς,*“ quae quid sibi vellent, Dindorfius non indicavit.

Porro si accuratius in Clemente recensendo egisset, ne id quidem ei accidisset, ut decem Clementis sententias et suo loco in contextu et infra in fine operis sub fragmentis imprimendas curaret.

Illud etiam Dindorfii fuisset, eos locos Sacrae Scripturae

Graecorumque auctorum adnotare, quibus Clemens usus est. Multos quidem iam Potterus indicaverat, sed plures in Clementis scriptis etiamnunc latent. Dindorfium, virum Graecarum litterarum peritissimum, hoc munus optime praestitisse censeres, tamen vix ullum locum ipse primus comparavit. Permulta hac in re desiderari P. de Lagarde (Symmict. I, 19—21) demonstravit circa quinquaginta exempla adnotans, neque difficile est permulta alia in Clementis scriptis reperire.

Sed in maioribus quoque rebus Dindorfii editio non ea est, quae nobis satisfaciat.

Primum quidem ad Clementem explicandum paene nihil contulit Dindorfius; nam in quarto editionis volumine, quod adnotationes continet, Potteri tantum verba denuo imprimenda curavit.

Tum novi editoris fuisset, omnia adiumenta critica diligentissime conquirere; sed et paucis tantum locis catenas Nicephori Cramerique sacraque parallela Joannis Damasceni, de quibus infra agitur, inspexit neque emendationibus usus est, quae a viris doctis passim in libris actisque philologorum adnotatae erant. Ut exemplo utar, unum Reinkensii presbyteri de Clemente librum Vratislaviae anno 1851 editum si adhibuisset, viginti fere locis Clementis meliorem textum praebere potuisset. Cobeti autem praeclaras emendationes, quamquam iam tribus annis ante editionem in *Λογίῳ Ἑρμῇ* (Lugd. Bat. a. 1866 vol. I) prodierunt, in Addendis tantum (I, p. XLIV) nobiscum communicavit magnam tum editionis partem iam impressam esse dicens, sed in ipso textu bis (I, 443, 10 et II, 344, 4) idem *Λογίου Ἑρμοῦ* volumen citat (cf. P. de Lagarde Symmicta I, p. 17).

Quibus omnibus in rebus cum Dindorfii editio parum differat a prioribus, quaerat quispiam, num nulla omnino re illis superior sit. Est sane res, qua omnes alias longe superat; sed omnes viri docti, qui acres illius iudices se praebuerunt, hanc praestantiam parum aut cognovisse aut laudasse mihi videntur.

Dindorfius enim omnium editorum primus certa ratione sanoque iudicio de codicibus manuscriptis disputavit. Omnes ante eum nullo iudicio adhibito, quibuscunque uti poterant, codicibus collatis non quaesiverunt, quisnam eorum primum locum teneret aut qua affinitate singuli inter se coniuncti essent. Nostra quidem aetate omnium virorum doctorum codicibus utendi ratio ere eadem est: Singulis accurate collatis eorumque aetate dili-

gentissime investigata stemma omnium componere student. Eamque unam rectam rationem esse apparet. Atque nobis luce clarius esse videtur, hac sola via nos certo gradu incedere posse multisque ambagibus vitatis ad rectum finem pervenire. Sed non antiquitus hoc constabat. Lachmannus demum primus et certam regulam rationemque praescripsit et ipse optima exempla proposuit Propertio et Lucretio editis.

In Clemente Alexandrino quoque recensendo hac ratione nobis utendum est. Itaque ut tanquam fundamentum iaciamus, prima observationum criticarum parte de codicibus manuscriptis eorumque stemmate agamus.

Primum igitur de Protreptici et Paedagogi codicibus nobis quaerendum est.

Quibus codicibus Victorius usus sit, ignoramus. Unum quidem exemplar ex bibliotheca Medicea habuisse idque cum compluribus aliis conferendum curavisse videtur. Nam sic in epistula dedicatoria ad Marcellum Cervinum scribit: „Stromatum unicum tantum illud exemplar habuimus, quod in Medicea bibliotheca custoditur. In reliquis autem emendandis tu quoque vehementi amore, quo hunc auctorem prosequeris, nos adiuvisti: ac conferendos a tuis, probis et eruditis viris, cum antiquissimis exemplaribus curasti. Cui etiam praeclaro studio tuo liberalitate sua opem tulit omni eleganti ac digna nobilissimo viro supellectile ornatissimus Rodulphus Pius antistes Carpensis, qui e bibliotheca, quam a maioribus suis, doctissimis viris ac maximis virtutibus insignibus accepit ac studio postea suo auxit, deprompsit vetustissimum exemplar Protreptici ac Paedagogi, ac tuis, ut commode ipsum tractarent, commodavit: ut inde quoque non parum opus illud purgatum ac nitidius factum sit.“ Quorum omnium nullum nobis vestigium relictum est.

Sylburgius autem in Paedagogo recensendo Palatino codice et fragmentis Palatinis et Augustanis (ab Hoeschelio suppeditatis) se usum esse profitetur. Sed codicem illum Palatinum anno 1549, uno scilicet ante Florentinam editionem Victorii anno exaratum esse queritur eumque nunc quidem nullius momenti esse infra demonstrabimus.

Potterus deinde sic fere de codicibus adhibitis loquitur: „Cohortationem ad Graecos, inquit, manuscriptam una cum duobus Paedagogi libris posterioribus eorundemque nonnullis fragmentis suppeditavit Novi apud Oxonienses Collegii Bibliotheca.

Trium Paedagogi librorum codicem unum Bodleji et huic in omnibus fere concordem alterum praebuit augustissimi regis nostri Bibliotheca.“ Quibus de codicibus infra dicetur.

Klotzius denique sibi codicem illum Oxoniensem a Pottero collatum ceteris antestare videri eumque se potissimum secutum esse in praefatione p. VII. dixit.

Itaque quae ex illorum editionibus de codicibus cognovimus, perpauca sunt, nam et de uno tantum codice, qua aetate scriptus sit, audimus neque quidquam de scriptura statuque ceterorum nobis traditur.

Addamus ea quoque, quae Nourrius in commentatione prima de Clementis Alexandrini operibus Art. II. de codicibus manuscriptis disputavit. Haec fere eius verba sunt: „Duos Protreptici Graecos codices manuscriptos nacti sumus. Prior est Regiae Bibliothecae et venerandae antiquitatis liber, in quo quaedam Justini Martyris, Athenagorae aliorumque quorumdam Patrum anno Christi 914 descripta sunt. Posteriorem vero ex Parisini RR. PP. societatis Jesu collegii Bibliotheca R. P. Harduinus pro more suo perquam humanissime communicavit. Is porro liber in charta papyracea exaratus recentioris quidem est manus, sed plures in eo quemadmodum in superiori, variae exhibentur lectiones.“

Iisdem duobus codicibus in Paedagogo quoque usus est Nourrius, sed tertio quoque, quem sic descripsit: „Tertius codex, quem ex Regia Bibliotheca nacti sumus, recentior in charta tantum papyracea descriptus est, atque hanc auctoris nostri commentationem, sed non plane integram exhibet. Quidam enimvero in eo occurrunt hiatus et in libro secundo finis septimi capitis et octavi initium ab amanuensi librario praetermissa fuere atque eo loci albae quaedam pagellae relictae sunt.“

Neque plura invenies in Fabricii Bibliotheca Graeca, in qua actum de Clemente VII, 119—149 ed. Harles.

Itaque si omnia quae ante Dindorfium de codicibus Clementis tradita sunt, contemplamur, iustum de iis iudicium inire discernereque, quibus potissimum utendum sit, nequimus. Nusquam de ratione, quae inter varios codices intercedat, actum est. Quod maxime opus esse supra diximus.

Dindorfio igitur meliorem de hac re notitiam debemus neque merito id neglexerunt, qui nimis severe de editione aliis

quidem in rebus levissima iudicaverunt. Nam ille et accuratius fere omnes codices adhuc commemoratos nobis descripsit et de uno eoque antiquissimo adhuc non noto nos docuit omniumque, quoad opus, variantes lectiones magna parte ab ipso primum excerptas sub textu adnotavit, unde factum est, ut nunc rectum de stemmate codicum iudicium fieri possit.

Sunt igitur Protreptici codices tres. Quorum principatum tenet codex Parisinus (P) Bibliothecae Imperialis 451, scriptus anno post Christum natum 914. Quem codicem quamquam iam Nourrius novit atque inspexit, primus tamen Dindorfius diligenter conferendum curavit per Duebnerum (cf. Dind. I, praef. VI: „si recte legit Duebnerus“ et praef. XII „codice ab Frid. Duebnero denuo inspecto“) et accurate descripsit praef. V sq. Ipse autem contulisse videtur (cf. praef. VIII: „Coelestius Cavedoni huius codicis usum liberalissime mihi concessit“) alterum, codicem Mutinensem Bibliothecae Palatinae (III. D. 7), paulo Parisino aetate inferiorem. Significatur littera M.

Praeter horum optimorum Protreptici codicum etiam tertii variantes lectiones Dindorfius textui subscripsit, Oxoniensis illius, quem Potterum inspexisse et Klotzium optimum putasse supra diximus.

Non autem ipse denuo hunc codicem inspexit, sed varias lectiones a Pottero adnotatas in sua editione repetivit[1]. Codicem autem descripsit praef. IX et hoc de eo iudicat: „Qui liber licet neglegentissime scriptus sit non raro omissis versibus integris vel vocabulis singulis, tamen bona plurima praebuit, quae nunc codicum multo antiquiorum MP auctoritate confirmata sunt, alia etsi levissimis tantum in rebus, quae ex vetustioribus codicibus peti non poterant, sibi propria habet.“

De quo codice certum rectumque iudicium fieri et diiudicari, utrum ex Parisino aut Mutinensi derivatus sit necne, non potuit nisi eo denuo diligentius collato. Idem Westcottio visum est codicem Oxoniensem denuo examinandum esse censenti[2].

---

1) Hac quoque in re neglegenter egit Dind.; cf. Pott. 11. adn. 12. *εὖαν· εὖαν* Nov.; D. I, 14, 12 *Εὔαν Εὔαν* N. Pott. 24. adn. 5. *ἐναρίθμητοι* Nov.; D. I, 29, 12. *ἀναρίθμητον* N. etc.

2) Dict. of Christ. Biogr. I, 561. Cod. Oxon. Coll. Novi 139. Saec. XV. Collated for (?) Potter and worthy of a second and complete examination.

Quare codicem illum ex Bibliotheca Collegii Novi Oxoniensis petenti mihi liberaliter transmissum in bibliotheca Universitatis Erlangensis denuo comparavi cum editione Dindorfii. De hoc codice quid iudicandum sit, pluribus explicemus.

Primum descriptioni Dindorfii pauca addamus. Est codex chartaceus saeculi XV. in folio, olim W. B. 1648. Continet autem Clementis Protrepticum et Paedagogi librum secundum et tertium fol. 1—122; deinde fol. 123—272 Anastasii Sinaitae duodecim contemplationes in Hexaemeron, quarum una adhuc Graece edita est a Petro Allixio Lond. 1682; Latina autem omnium interpretatio exstat in Bibliothecis Patrum; cf. Migne: Patrol. Graeca vol. 89. et Fabricii Bibl. Graeca ed. Harl. X, 589.

Inscriptio in codice ipso haec est: „*Τοῦ ἁγίου ἀναστασίου πρεσβυτέρου καὶ μοναχοῦ τοῦ ἁγίου ὄρους σινᾶ καὶ ἀρχιεπισκόπου ἀντιοχείας εἰς τὴν πνευματικὴν ἀναγωγὴν τῆς ἑξαημέρου κτίσεως λόγος πρῶτος.*“

Ultimum denique totius voluminis folium fragmentum quoddam secundi libri Paedagogi continet (Dind. I, 255, 10 — 258, 16). Haec ipsa illa fragmenta esse, quae a codice Oxoniensi sibi suppeditata esse Potterus commemoravit, apparet ex Pott. p. 196, adn. 4.

Scholia Graeca quattuor tantum praebet codex N, eademque sunt in P et M. Tamen ea adscribam:

Dind. I, 62, 14. *Βίωνα*] *ἱστορικὸς οὗτος ἐγένετο.*
I, 68, 5. *ἀπατηλόν*] *τὴν εἰδωλοποιόν.*
I, 103, 22. *πλῆθι*] *ἀντὶ τοῦ πλεῦσον.*
I, 270, 12. *βακκάρι*] *εἶδος μύρου βαρβαρικοῦ.*

Librarius interdum ipse errores commissos emendavit, sed alius correctoris vestigium non inveni.

His peractis transeamus ad difficilem quaestionem, quae ratio intercedat inter codicem N et codices P et M. Quae quaestio eadem est in Protreptico atque in duobus Paedagogi libris posterioribus.

Primum quidem id pro certo affirmare possumus, aliam esse codicum P et N, aliam codicis M recensionem. Nam plerisque locis N et P eadem tradunt, alteram autem lectionem saepissime M et editio Victorii (V), qui simili codice usus esse videtur, tuentur. Centies vicies fere in Protreptico, septuagies in Paedagogi libris secundo et tertio eandem lectionem praebent N et P, a codicis M scriptura differentem. Pauca exempla

afferre satis erit. Ceterum secundum editionem Dindorfianam abhinc semper citabitur.

I, 2, 12. τῷ νεκρῷ) τῷ Πυθικῷ addunt NP.
2, 25. τῆς addunt NP.
3, 4. καὶ τῶν — θεάματα add. NP, om. MV.
5, 11. τά omis. NP.
26, 5. ὦ γῆς ὄχημα κἀπὶ γῆς ἔχων ἕδραν NP.
γῆς ὄχημα κἀπὶ (τἀπὶ V) γῆν ἔχονθ' ἕδραν MV.
29, 7. Κορύβαντος) Κύρβαντος NP.
75, 22. τῷ) τῇ MV; τήν NP.
76, 25. φανερός NP; φανερῶς MV.
111, 11. κομιδῆς NP; κηδεμονίας MV.
122, 13. αἱρώμεθα NP; τιθέμεθα MV.
214, 7. ἴγδιν NP; ἴγδην MV.
215, 17. μέγα NP; μέγαν MV.
216, 9. πίπτει NP; ἐκπίπτει MV.
216, 10. ἄρτον NP; ἄριστον MV.
216, 13. διηγεῖσθαι NP; ἡγεῖσθαι MV.
339, 7. τό om. NP.
355, 4. ἣ MV; ἢ NP.
396, 16. διαλεχθῶμεν NP; διελεγχθῶμεν MV.

Itaque cum codex N aetate haud paulo inferior sit Parisino, conicias N aut ex P aut ex illius apographo quodam fluxisse. Quam coniecturam aliae quoque res confirmare videntur. Deest enim in P foliis pluribus amissis initium libri primi Paedagogi usque ad verba πρὸς δὲ καὶ ἐπιτιμή — I, 201, 25. In N autem totus liber primus deest et exstant inter Protrepticum et Paedagogi librum secundum quinque paginae albae, quae sufficiant libri primi capitibus XI, XII, XIII, in P traditis. Neque tamen neglegendum quinque illas paginas ultimas quaternionis esse et etiam post finitum Padagogi librum tertium tria folia alba exstare, quibus et ipsis quaternio conficiatur. Deinde et N et P omiserunt hymnum in Christum salvatorem Clementi adscriptum, quem praebent M aliique codices. Sed ne id quidem plus demonstrat quam ex eodem fonte fluxisse N atque P.


Paucis denique monendum censeo, si revera N ex P profectus sit, nullius eum momenti esse neque diutius licere eius lectionibus variantibus apparatum criticum onerari.

Attamen codicem N ex eodem quidem fonte, quo P, sed

non ex ipso Parisino fluxisse demonstrare posse mihi videor. Exstant enim quadraginta fere exempla, quibus N idem praebet, quod M, et MN quidem rectam, P autem falsam lectionem. Exempla haec afferam:

I, 3, 21. τὸν Τέρπανδρον MN; τόν omis. P.
10, 13. πιστεύεις MN; πιστεύῃς P.
31, 21. Ἄλκανδρος MN; ἄλκμανδρος P.
43, 20. Χερρόνησον MN; χερρόννησον P.
58, 27. τοῦ MN; τό P.
100, 10. ἐς MN, ut legendum; ἐπ' P.
220, 2; κεκυφότας N et cet.; καὶ κ. P.
228, 14. οὐδαμῶς N et cet.; οὐδαμῇ P.
357, 1. ταῖς N et cet.; τοῖς P.

Quae lectiones quomodo exstiterint, intellegi non potest, si N ex P fluxisse credimus. Immo hoc stemma trium codicum MNP nobis statuendum puto:




Neque tamen hoc stemmate omnia ad liquidum perducta sunt. Immo de alia quoque re nobis quaestio habenda est. Codex Parisinus enim plurimis locis correctus est et ab ipsius librarii et a scholiastae aliorumque manibus. Persaepe autem (sunt centum quadraginta fere exempla) correctus eandem lectionem praebet, quam N; in quibus etiam satis multa exempla sunt, quibus correcti Parisini lectionem praeterea solus N tuetur. Talia exempla sunt:

I, 15, 11. μητρός MV; μύθους N et P corr.
21, 26. ἀνεσύρετο MV; ἀνεσύρατο N et P corr.
33, 1. Μάρπισσα MV; μάρπησσα N et P corr.
68, 6. ἐργάζεσθαι N; ὁρίζεσθαι P, sed illud in margine a manu scholiastae.
276, 10. ὑπάγετον N et P corr.; ὑπαγέτην cet.

301, 3. Σολομῶν N et P corr.; σαλαμῶν P.
348, 1. διαμαρτυρόμενος N et P corr.; διαμαρτυρούμενος cet. et P pr.
377, 27. ἐνδείκνυται N et P corr.; ἐνδεικνύναι M et P prim.
399, 25. ἐδώκατε N et P corr.; δεδώκατε cet. et P prim.
401, 22. ἐκκακῶμεν N et P corr.; ἐγκακῶμεν M et P pr., ut videtur.

Itaque cum, ut supra demonstravimus, N ex P non possit fluxisse, neque Parisinum quinto demum decimo saeculo secundum Oxoniensem correctum esse luce clarius sit, sic statuamus necesse est: Correctus est P secundum codicem aliquem, ex quo N profectus est. Hoc igitur stemma nobis constituendum est:



Hoc stemma codices Protreptici continet omnes adhuc commemoratos solo excepto eo, quem ex Parisini societatis Jesu collegii bibliotheca se recepisse Nourrius fatetur. Sed cum recentissimae aetatis fuerit, haud magnum eo perdito detrimentum factum esse videtur. Neque maioris momenti codex Vaticanus Ottobonianus est, quem descripsit Dindorfius I, praef. XIX.

Magis dolendum esse videtur, quod Victorii codices non habemus. Quamquam, si illos in manibus haberemus, Clementis textum paucis tantum locis emendari posse mihi quidem persuasum est. Is enim codex, quo potissimum Victorius usus est, simillimus fuisse videtur codicis Mutinensis, cuius cum lectionibus plerumque consentit. Sed omnibus paene locis Parisini Oxoniensisque lectiones praeferendae sunt.

In Paedagogo deinde recensendo praeter hos, de quibus adhuc egimus, libros unus tantum codex adhibendus est, Flo-


rentinus (F) scilicet Bibliothecae Laurentianae plutei 5 codex 24., quem descripsit Dindorfius I, praef. VIII sq.

Eodem codice Victorius usus est in Paedagogo recensendo. Omnes qui praeterea feruntur Paedagogi libri manuscripti ex illo descripti esse arguuntur lacunis in Paed. I. cap. VIII. et Paed. II. cap. VII. et VIII. (Dind. I, 180, 16—182, 21; 266, 1—268, 8), quibus locis in codice F quattuor folia exciderunt. Trium librorum, in quibus hae lacunae exstant, variantes scripturae apud Dindorfium adscriptae sunt. In iis sunt duo illi codices a Pottero collati, Bodleianus (B) alter, ex bibliotheca regia Britannica alter (R), tertius est Sylburgii codex Palatinus (Pal.), scriptus anno 1549. Quos codices non ex ipso F descriptos esse multis locis apparet, quibus tres eandem scripturam praebent a Florentini lectione differentem. Circiter viginti exempla inveni, quorum pauca adscribam:

I, 130, 18. *παραπαιδαγωγῶν* F ut MV; *παιδαγωγῶν* BRPal.
140, 7. *ἤπιοι* F; *νήπιοι* BRPal.
164, 7. *καὶ τὸ ἓν* F; *καί* omis. BRPal.
252, 16. *Ἰησοῦ* F; *Χριστοῦ* add. BRPal.
276, 13. *ὀδωδῆς* F; *ὀδμῆς* BRPal.
349, 2. *συμπομπεύουσαι* F; *συμπολιτεύουσαι* BRPal.

Maxime inter se congruunt B et R: fere semper eandem lectionem praebent (centum triginta sex exempla mihi adnotavi). Sed utrum alter ex altero an uterque ex eodem fonte fluxerit, discerni non potest. Tamen paucis exemplis communem stirpem praeferre inducor.

Iisdem lacunis supra memoratis laborant etiam codex Venetus Marcianus 652 (cf. Dind. I. praef. IX sq.) et Nourrii codex is, quem tertium in Paedagogi libris se adhibuisse dicit. Hoc igitur stemma habemus:




Quorum omnium F solum respiciendum esse apparet. Et magni quidem iste momenti est. Nam solus alteram textus recensionem praebet, cum alterius auctores habeamus tres MNP. Multis exemplis (sunt fere octoginta) haec sententia confirmatur, quorum pauca adscribam.

I, 224, 16. *ἔχοι δ᾽ ἄν* MNP; *ἔχει δέ* BFRPal.
268, 18. *εἰς τὸ τρύβλιον* MNP; *ἐν τῷ τρυβλίῳ* BFRPal.
328, 27. *γυναικὸς ἀλλ᾽ ἑταίρας* BFRPal.;
γυναικὸς ἀ . . . . ἑρας MNP.
329, 21. *ἄνθος* MNP; *κάλλος* BFRPal.
356, 6. *ἡ ψυχὴ μόνη* MNP; *τῇ ψυχῇ μόνῃ* BFRPal.
374, 7. *οὐροδρομοῦσα* MNP; *οὐρανοδρομοῦσα* BFRPal.
376, 15. *Χριστός* MNP; *θεός* BFRPal.

Quae quoque loco lectio praeferenda sit, utrum recensionis F an recensionis MNP, sola interpretatione discerni potest.

Hoc igitur omnium Paedagogi librorum stemma statuendum mihi videtur:



Hoc stemma quasi regulam normamque iudicii adhibentes nonnullis locis aliam atque Dindorfius in textu recepit lectionem praeferendam esse infra ostendemus.

Multo minores difficultates Stromatum opus praebet, si de codicibus quaestio est. Nam duo tantum exstant codices manuscripti, quorum alterum ex altero fluxisse constat. Est autem aetate superior codex Florentinus (L) bibliothecae Laurentianae plutei 5 codex 3. (cf. Dind. I. praef. XVI. sq.). Cuius codicis specimen proposuit Bandini in catalogo codicum manuscriptorum Graecorum I, 1.

Deest autem in hoc codice initium libri primi uno, ut videtur, folio amisso. Idem autem codex est, ex quo Petrus Victorius Stromatum opus edidit Florentiae 1550. Sed Dindorfius denuo eum contulit vel potius per Josephum Muellerum conferendum curavit (praef. XVII: „codice denuo accuratius excusso errores aliquammultos partim Victorii partim typothetarum Florentinorum corrigere mihi licuit“ et paulo post: „libro archetypo ab Josepho Muellero accuratius collato“).

Alter est codex Bibliothecae collegii Societatis Jesu Parisini saeculo quinto decimo scriptus atque apographus esse codicis Florentini eadem in initio lacuna convincitur. Hoc codice usus est et Nicolaus Nourrius et Potterus. Nourrius quidem in secunda de Clementis operibus commentatione art. IV. haec scripsit: „Nos in aliis, qua potuimus, maiori diligentia ubique sive nostra sive amicorum cura perquirendis codicibus omnem paene operam perdidimus. Unum enim dumtaxat in Claromontano huiusce regiae urbis RR. PP. Societatis Jesu collegio Graecum exemplar invenimus“.

In Potteri autem usum Bernardus Montefalconius Parisinum contulit cum editione Victorii. Edidit autem varias lectiones Potterus in appendice editionis suae pag. 1025—1035. Quae nunc ipso Florentino denuo collato nullius momenti sunt.

Totius igitur textus recensio uno codice nititur eoque magis alia adiumenta critica undique requirenda fuerunt Dindorfio. Quorum duo genera exstant: unum excerptorum, quae ex Clementis operibus ab epitomatoribus composita passim in codicibus tradita sunt, alterum locorum Clementis, qui ab aliis scriptoribus ecclesiasticis aut ab auctoribus catenarum vel *σειρῶν* saepissime laudantur.

Primum de fragmentis Clementis in codicibus traditis nobis agendum est. Quorum tria nobis nota sunt: fragmenta Neapolitana, Ottoboniana, Hoescheliana. Fragmenta enim Palatina, quibus Sylburgius se usum esse dicit, hoc loco non commemoranda sunt, quia excerpta tantum ex Paedagogo continent. Ceterum paucissimis locis a Sylburgio laudantur, ut ea magni momenti omnino non fuisse appareat, cf. Dind. I, XII.

Codices Neapolitanus et Ottobonianus inter se omni ex parte similes accurate describuntur a Dindorfio praef. XVIII. Attamen Ottoboniani solius varias lectiones a Pottero, qui hoc codice utebatur, adnotatas Dindorfii apparatus criticus praebet. Nam

omnino minimi momenti esse haec excerpta ille indicavit (praef. XVII): „Excerpta ex Stromatum libris ab infimae aetatis epitomatore composita in codicibus pluribus supersunt, sed nihil continent, ex quo colligi possit epitomatorem alio eoque integriore codice quam qui etiamnunc superest Laurentiano usum esse“.

Tertia denique sunt fragmenta Hoescheliana, quibus usus est Sylburgius. Qui cum Clementis opera denuo se editurum professus esset, undique ei viri docti annotationes miserunt. In quibus erat etiam Hoeschelius, tum Gymnasii St. Annae Augustani rector. Haec autem de eo scripsit Sylburgius in praefatione: „Hoeschelius ex Augustanae bibliothecae manuscriptis *ἐκλογαῖς* sive *ἐπιτομαῖς* non pauca suggessit: etsi enim ea collectanea, ut ipse oculatus est testis, neque ordine neque iudicio eo quo decebat congesta, passim etiam ab imperito librario vitiata sunt, in non paucis tamen locis ad germanam lectionem non parum opis attulerunt“.

Acerbius de his fragmentis iudicavit Dindorfius, quae sibi propria habere viderentur, non libris antiquis, sed epitomatorum deberi arbitrio ratus. Quod iudicium falsum esse demonstrare posse mihi videor.

Forte fortuna enim in manus mihi venit exemplar quoddam editionis Florentinae, quod asservatur in bibliotheca publica Augustana. Multae autem variaeque notae in lato margine adscriptae sunt. Complures quoque exstant subscriptiones, quibus apparet eum, qui illa adnotaverit, bis perlegisse Clementem et primum quidem (a. 1583—1584) typothetae errores correxisse et multas suas emendationes adscripsisse, deinde autem (a. 1585) et notas Hieronymi Wolfii ex eiusdem exemplari et variantes lectiones ex codice quodam Bibliothecae Augustanae adnotasse[1]).

---

1) In fine Protreptici pag. 42 subscriptum: „*σὺν θεῷ διανέγνων τῇ ιδʾ αὐγουστοῦ ἔτει ἀπὸ θεογονίας ‚αφπγʹ* ☿.“

„Dr. H. W., cuius cum exemplari mense Aprili 1585 contuli, evolvit *ἀ Πυανεψιῶνος ἔτει, ‚αφνδʾ ἐν Σεβαστῇ τῇ Βινδελικῶν.*“

In fine Paedagogi p. 90: *Διανέγνων σὺν θεῷ τῇ ἰδʾ ἰουλίου ἔτει Χριστοῦ, ‚αφδʾ* ♂“.

In fine totius operis subscriptum: „Cal. Maiis 1585 finivi *σὺν θεῷ.*“ „Contuli autem cum exemplo et H. Vuolfii et epitome Augustana manuscripta.“

Quas adnotationes deberi verisimillimum est Hoeschelio, qui a. 1581 Augustam Vindelicorum venit ibique postea bibliothecae praefectus est, cuius catalogum edidit 1594. Quam coniecturam confirmat etiam Sylburgius, qui in praefatione Hoeschelium, quae cum Philone, Plutarcho, Athenaeo christianisque philosophis et theologis Clementi essent communia, multis in locis annotavisse dixit. Eiusmodi autem notae plurimae in illo exemplari leguntur. Attamen ne multum quidem refert, utrum illas notas Hoeschelius adscripserit an alius. Nobis nihil respiciendum nisi excerpta ipsa ex codice Augustano, quem eundem esse constat atque eum, quem Hoeschelius in catalogo Graec. codd. (1594) pag. 32, Nr. 49 his verbis descripsit: „Fragmentum epitomes stromatum Clementis Alexandrini charta quarto. Hinc quaedam restituta in nupera editione, quae prodiit nova e typographeio H. Commelini.“ Idem fere est in M. Ant. Reiseri indice manuscriptorum Bibliothecae Augustanae (1675) p. 27, Nr. 22. Nunc autem ille codex periisse videtur. In Mezgeri catalogo (1842) non invenitur.

Hoeschelius aut non omnes, quas in exemplari suo adnotaverat, lectiones Sylburgio misisse videtur aut Sylburgius non omnes in editione sua vulgavit. Permultae enim illic leguntur, quas Sylburgius non commemoravit, vix ullum autem exemplum invenire potui, quo Sylburgius plus praebet quam illa editio Victorii Augustana.

Excerpta Hoescheliana non ex codice Florentino vel ex eius apographo fluxisse iam Th. Zahn (Forschungen III, pag. 119) coniecerat duabus causis nixus. Primum enim in illis excerptis post eclogas propheticas fragmentum quoddam legitur, quod non exstat in codice Florentino. Sylburgius iam secundum Hoeschelium id in editione sua ediderat et repetiverunt ceteri editores (Dind. in adnotationibus vol. IV, 471). In editione Victorii Augustana haec manu scripta sunt post verbum *ἀνεξίκακος* (Dind. III, 478, 8): „*λείπει τὸ τελικὸν τῆς τοῦ ιή ψαλμοῦ ἐξηγήσεως, ὡς καὶ διασάφησις τοῦ ιθ᾽· οὗ μόριόν τι εὗρον ἐν ἀντιγράφῳ ἐπιτομῆς τῆς ἐν Βιβλιοθήκῃ τῇ τῶν αὐγουσταίων κειμένης τοιόνδε. κύριε σῶσον τὸν βασιλέα, τουτέστι τὸν εἰς βασιλέα κεχρισμένον λαόν· οὐ γὰρ μόνον τὸν Δαβίδ. Διὸ καὶ ἐπάγει· καὶ ἐπάκουσον ἡμῶν, ἐν ᾗ ἂν ἡμέρᾳ ἐπικαλεσώμεθά σε. αὐτόθι· τὸ ἀναβῆναι ἐπὶ τὴν καρδίαν τὸ καλὸν ὑπὸ τῆς γραφῆς λέγεται καὶ τὸ νικῆσαι τὴν καλὴν βουλήν.*“

Deinde Zahnii coniectura nititur multis et bonis lectionibus a Sylburgio commemoratis. Nunc autem multo pluribus iisque optimis cognitis iam non dubium esse potest, quin aliam textus recensionem excerpta sequantur, aliam codex Florentinus. Satis magnam utilitatem praebere excerpta manuscripta apparet etiam his numeris adscriptis. Ex 280 lectionibus, quarum septuaginta praebet Sylburgius, ducentas decem praeter eas ego ex codice Augustano excerpsi, iam quadraginta sex in textu receptae sunt, sed triginta[1]) earum non ex fragmentis Hoeschelianis, sed ex fragmentis Ottobonianis aut ex virorum doctorum coniecturis nunc codicis scriptura confirmatis. Ex ceteris lectionibus fere sexaginta in textum inserendas censeo, quarum de compluribus infra agam.


Quas omnes si novisset, ne Dindorfius quidem — nisi fallor — epitomatorum deberi arbitrio, quaequae excerpta sibi propria haberent, dixisset.

Fragmentis Hoeschelianis simillima sunt fragmenta Ottoboniana, sed vix ullam aptam lectionem praebent, quae non etiam sit in Hoeschelianis. Fortasse igitur ex iis descripta sunt. Ex eodem quo haec duo fonte fluxisse etiam ea, quae in codice Neapolitano quodam (cf. Dind. I, pag. XVIII) continentur excerpta eo apparet, quod iisdem finiuntur verbis: „*τὸ ἀναβῆναι ἐπὶ καρδίαν τὸ καλὸν ὑπὸ τῆς γραφῆς λέγεται καὶ τὸ νικῆσαι τὴν καλὴν βουλὴν*", quae ex fragmentis Hoeschelianis supra adscripsimus.

---

1) II, 18, 20. *παιδιᾶ.*
20, 16. *ἀνεδιφήσατε.*
29, 21. *συνιέναι.*
31, 4. *καταρρήγνυται.*
35, 17. *οἱ* omissum.
47, 11. *ἀνέδην.*
58, 15. *Πυθαγόρειος.*
60, 4. *προσβλέπουσα.*
135, 14. *συνεχῶς.*
180, 18. *παρακαταθήκην.*
217, 16. *δυοῖν.*
238, 6. *καί* omissum.
258, 14. *κατοικίδιοι.*
417, 11. *Ὑπερβόρειοι.*
417, 12. *Ἀριμάσπειοι.*
III. 34, 21. *τόν.*
71, 8. *Ἀριδαῖον.*
74, 13. *ψυχήν.*
79, 1. *αὖ τῷ.*
102, 2. *κερδα(ι)νέτω.*
125, 6. *ζείδωρος.*
128, 15. *ἰαμβεῖον.*
128, 16. *κοὐκ.*
132, 1. *ἰαμβείοις.*
134, 14. *Ποσείδιππος.*
195, 18. *διατροφήν.*
203, 13. *κατά τι.*
213, 6. *περιχριόμενον,*
216, 10. *μανιάκην.*
234, 20. *κώνειον.*

Haec sunt, quae de codicibus stromatum dicenda nobis erant. Totam autem quaestionem hoc stemmate ad liquidum perducendam censemus:



Restat, ut de altero adiumento critico, de quo supra diximus, pauca addamus. Multis quidem locis Eusebii codices integriorem recensionem praebent quam ipsius Clementis codex. Aliis autem locis, quibus Clemens Platonis aliorumque verba laudat, inde nobis remedium corruptionis petendum est. Quod interdum omisit Dindorfius. Cuius rei exemplum afferemus ad III, 58, 20. Sed plura neglexit alia in re. Exstant enim in catenarum vel *σειρῶν* scriptoribus satis multi amplique loci ex Clementis operibus, quibus si usus esset Dindorfius, persaepe meliorem Clementis textum praeberet.

Primum huius rei monuit P. de Lagarde (Symmicta I 1877 p. 12 sqq.), qui exempli causa ex Nicephori catenarum in octateuchon volumine primo quinquaginta quattuor[1]) locos adnotavit et, quas ex iis emendationes petere potuisset Dindorfius, explicavit. Attamen fraudi illi fuit, quod praeceptionis (I, p. VII) Nicephori neglexit haec verba: *„ἐπεὶ δὲ τοῖς ἐκδεδομένοις τῶν ἑρμηνευτῶν τῇ ἐλπίδι τῆς τῶς ἀνωνύμων εὑρέσεως πυκνότερον ἐνεκύπτομεν πολὺν καταβάλλοντες πόνον, καὶ χρόνον καταναλίσκοντες, ὅπου ἀναπτώξεσιν ἐνετύχομεν εἰς τοὺς τόπους μάλιστα, ἐν οἷς ἡ βίβλος ἄμοιρος, καὶ αὐτὰς πρὸς τελειότερον*

---

1) Nic. I, 922, quod se in Clemente non invenisse queritur Lagarde, est III, 57, 3. Praeterea omisit N. I, 856 = D. III, 28, 4 — 29, 6; N. I, 139 = D. III, 190, 11 — 29 et N. I, 1037 (fragmentum in Dindorfio non notatum cf. Zahn F. III p. 34. Nr. 8). In secundo volumine quattuor Clementis loci laudantur: N. II, 526 = D. I, 228, 20—229, 2; N. II, 815 = D. I, 309, 15—24; N. II, 383 = D. I, 334, 26—335, 9; N. II, 697 = D. III, 510, 4—23.

αὐτῆς συναπαρτισμὸν προσεθέμεθα, δυσὶν ἐπισημήναντες ἀστερίσκοις. Quibus asteriscis notati sunt quinquaginta sex loci (duos omisisse Zahn. F. III, p. 5 videtur). Qui cum ex Potteri editione sumpti sint, nullam nobis afferunt utilitatem et, quas praebent lectiones, ipsius Nicephori aut errori aut emendationi debentur. Itaque quinque tantum ex Nicephori catenis loci nobis respiciendi sunt: N. I, 101 (bis); 856; 883; 1037, ex quibus nonnullae emendationes peti possunt.

Post Lagardium diligentissime atque accuratissime de omnibus Clementis locis apud posteriores scriptores laudatis disseruit Zahn (Forschungen III, 4—78). Ex undecim enim catenarum scriptoribus Clementis locos collegit et cum Dindorfii editione comparavit multosque eius errores emendavit. Perpauca hac in re post doctissimam disputationem addere possumus. Contulimus enim denuo Parallela Vaticana et Rupefucaldina in Joannis Damasceni Sacris Parallelis, cum eorum lectiones a Zahnio non adnotatae essent, atque inde fortasse quaedam in textum recipienda infra demonstrabimus.

Hoc in opere fragmenta Clementis nobis tradita neglegere non potuisse Zahnium consantaneum est. Atque primus quidem post Potterum hac in re optime meruit. Etenim permulta fragmenta adhuc omissa primus edidit et errores priorum editorum sustulit. Nam Klotzius, Mignius, Dindorfius nulla ratione adhibita fragmenta in editionibus imprimenda curaverunt. Quanta neglegentia autem usi sint, vel ea re apparet, quod in Dindorfii editione decem fragmenta inveniuntur, quae iam antea suo loco in textu impressa leguntur. Quae composita videre fortasse ex re est.

Dind. I, 266, 26	=	III, 511, 18.
II, 124, 3	=	III, 511, 33.
II, 173, 16	=	III, 512, 4.
II, 225, 3	=	III, 500, 34.
II, 371, 12	=	III, 511, 38.
II, 409, 26	=	III, 490, 4.
III, 27, 23	=	III, 511, 20.
III, 199, 16	=	III, 502, 33.
III, 381, 3	=	III, 501, 7.

De decimo exemplo paulo post agetur.

Cuius erroris primum emendati laus Zahnio debetur. Tamen

ipse quoque tria fragmenta edidit ex Joanne Damasceno, quae iam in textu leguntur. Quae hic adscribam.

1. Zahn. F. III, p. 53. ('Zitate ungewisser Herkunft' Nr. 14): Par. Vat. 307. (*κλήμ. στρωμ.*) *Ὁ τοῦ ἀπαθοῦς θεοῦ φόβος ἀπαθής· φοβεῖται γάρ τις οὐ τὸν θεόν, ἀλλὰ τὸ ἀποπεσεῖν τοῦ θεοῦ. ὁ δὲ τοῦτο δεδιὼς τὸ τοῖς κακοῖς συμπεσεῖν* (*περιπεσεῖν* Cl) *φοβεῖται καὶ δέδιεν τὰ κακά. ὁ δεδιὼς δὲ τὸ πνῶμα, ἄφθαρτον ἑαυτὸν καὶ ἀπαθῆ εἶναι βούλεται.* Quae verba a Dindorfio quoque III, 511, 10—14 in fragmentis posita sunt, exstant autem II, 171, 22—26.

2. Zahn. F. III, p. 54. ('Zitate ungewisser Herkunft' Nr. 18): Par. Vat. 399. *Ὁ γνωστικὸς ἀφέξεται τῶν κατὰ λόγον καὶ τῶν κατὰ διάνοιαν καὶ τῶν κατ'* (*κατὰ* Cl.) *αἴσθησιν καὶ ἐνέργειαν ἁμαρτημάτων.*

Comparantur a Zahnio plures Clementis loci, ipsa verba autem exstant II, 178, 19—21.

3. Zahn. F. III, p. 55. ('Zitate ungewisser Herkunft' Nr. 26): Car. Vat. 657 (in margine „Rup. *ἐκ τοῦ ϛ' στρώμ.*"). *Οὐ μόνον εὐτελῆ διάνοιαν, ἀλλὰ καὶ λόγον ἀσκητέον τῷ τὸν ἀληθῆ βίον ἐπανῃρημένῳ.*

Paucis verbis additis eadem leguntur Dind. II, 41, 13—15.

Fortasse alia fragmenta hoc modo supervacanea esse redargui possint, tamen adhuc non plura inveni.

Zahnii denique de octavo Stromatum libro coniectura verisimillima quidem mihi videtur, tamen eam novis argumentis confirmare nequeo.

Ac de prima quidem parte satis disputatum est. Iam transeamus ad singulos locos vel explicandos vel emendandos.

II.

De singulis locis.

I, 4, 3.

Clemens de Amphione et Arione Eunomoque Graecorum vatibus locutus alium se habere vatem gloriatur, qui non Terpandri aut Capitonis numeros neque Phrygios aut Lydios aut Dorios modos cantet, sed aeternum novae harmoniae modum, Dei nomine ornatum, novum canticum Leviticum. Deinde pergit: *νηπενθές τ' ἄχολόν τε, κακῶν ἐπίληθες ἁπάντων. γλυκύ τι καὶ ἀληθινὸν φάρμακον πειθοῦς ἐγκέκραται τῷ ᾄσματι.*

Apud Potterum, Klotzium, Dindorfium ante *νηπενθές* commatis signum, post *ἁπάντων* colon positum est, unde apparet eos verba *νηπενθές* — *ἁπάντων* ut appositionem referenda putasse ad vocem *τὸ ᾆσμα.* Attamen evolvas, quaeso, Homeri Odysseam, ubi 4, 219 sqq. legimus:

Ἔνθ' αὖτ' ἄλλ' ἐνόησ' Ἑλένη Διὸς ἐκγεγαυῖα·
αὐτίκ' ἄρ' εἰς οἶνον βάλε φάρμακον, ἔνθεν ἔπινον,
νηπενθές τ' ἄχολόν τε, κακῶν ἐπίληθον ἁπάντων.

Φάρμακον igitur hoc loco est, quod nominatur *νηπενθές τ'ἄχολόν τε κτλ.* Atque idem est apud Clementem, nam versus non ad *τὸ ᾆσμα,* sed ad *φάρμακον* revocandus est.

Tamen ne sic quidem locus recte legitur. Quid enim sibi vult *φάρμακον πειθοῦς*? Interpres quidem apud Potterum scripsit: „in animis hominum potens pharmacum.“ Sed neque Graeca verba id significant neque Latina aptum sensum praebent.

Optimum autem sensum habemus, si scribimus *φάρμακον πένθους*, quam vocem facili emendatione petimus a praeeunte voce, *„νηπενθές“.*

Totius igitur loci sensus hic est: Leniens dolorem iramque et malorum oblivionem inducens omnium, dulce quoddam et verum remedium doloris cum hoc cantico commistum est.

Fortasse praeferat aliquis codicis Oxoniensis scripturam *γλυκύ τε καὶ ἀληθινόν*, sed *τι* in *τε* mutare non necessarium mihi videtur.

Φάρμακον πένθους legendum esse censuit etiam Reinkens in libro de Clemente Alexandrino presbytero homine, scriptore, philosopho, theologo (Vratislaviae 1851) pag. 29.

6, 21.

Ναὶ μὴν ὁ Δαβὶδ ὁ βασιλεὺς, ὁ κιθαριστὴς, οὗ ἐμνήσθημεν, ὃ ς προὔτρεπεν ὡς τὴν ἀλήθειαν, ἀπέτρεπε δὲ εἰδώλων, πολλοῦ γε ἔδει ὑμνεῖν αὐτὸν τοὺς δαίμονας.

Hunc locum in edd. non recte se habere apparet. Nam deest verbum praedicativum, quod referamus ad subiectum *ὁ Δαβίδ.* Sed non omnes codices textum sic praebent; abest enim in N et P vox *ὅς* et in codice M a manu recenti demum addita est, unde eam ne in archetypo quidem fuisse intellegimus. Tollendum igitur *ὅς,* quo facto verborum compositio optima haec est: *ὁ Δαβὶδ · · · προὔτρεπεν · ·, ἀπέτρεπε δὲ εἰδώλων· πολλοῦ γε ἔδει ὑμνεῖν αὐτὸν τοὺς δαίμονας.*

9, 16.

Τῷ σωτῆρι τῷ κυρίῳ προσδράμωμεν, ὃς καὶ νῦν καὶ ἀεὶ προὔτρεπεν εἰς σωτηρίαν, διὰ τεράτων καὶ σημείων ἐν Αἰγύπτῳ καὶ ἐν ἐρήμῳ, διά τε τῆς βάτου καὶ τῆς ἀκολουθούσης ... νεφέλης.

Sic legitur ex Potteri coniectura voce *καὶ* ante *ἐν ἐρήμῳ* addita. Tamen aptius locus emendari potest. Disiuncta enim duo membra habemus: *διὰ τεράτων καὶ σημείων* alterum, *διά τε τῆς βάτου καὶ τῆς ἀκολουθούσης νεφέλης* alterum. Concinnitate autem poscitur utrique id ipsum addi, quo inter se differant. Et exstant membra: *ἐν Αἰγύπτῳ* et *ἐν ἐρήμῳ*. Itaque parum recte egerunt editores, quod utrumque primo membro adiunxerunt vocabulo *καί* addito. Potius *δέ* addendum censeo atque sic distinguendum: *διὰ τεράτων καὶ σημείων ἐν Αἰγύπτῳ, ἐν ἐρήμῳ δὲ διά τε τῆς βάτου καὶ τῆς ἀκολουθούσης νεφέλης.*

21, 1.

Καὶ τί θαυμαστὸν εἰ Τυρρηνοὶ οἱ βάρβαροι αἰσχροῖς οὕτω τελίσκονται παθήμασιν, ὅπου γε Ἀθηναίοις καὶ τῇ ἄλλῃ Ἑλλάδι, αἰδοῦμαι καὶ λέγειν, αἰσχύνης ἔμπλεως ἡ περὶ τὴν Δηὼ μυθολογία; ἀλωμένη γὰρ ἡ Δηὼ κατὰ ζήτησιν τῆς θυγατρὸς τῆς Κόρης περὶ τὴν Ἐλευσῖνα — τῆς Ἀττικῆς δέ ἐστι τοῦτο τὸ χωρίον — ἀποκάμνει καὶ φρέατι ἐπικαθίζει λυπουμένη.

Reinkens de Cl. Alex. p. 30. verba *τῆς Ἀττικῆς δέ ἐστι τοῦτο τὸ χωρίον* ab interprete quodam margini adscripta in textum irrepsisse arbitratur; primum enim *τὴν Ἐλευσῖνα* oppidum iam antea (14, 18) a Clemente memoratum esse sine ulla geographiae nota, deinde eiusmodi geographiae expositiones alibi non reperiri, denique Clementem ad Graecos scribere, quibus loci Eleusinis descriptione haud opus fuisse manifestum esset. Neque tamen Reinkensio assentior. Primum enim tales notas non inveniri apud Clementem non verum est. Conferas, quaeso, 44, 4. *Λυκτίους — Κρητῶν δὲ ἔθνος εἰσὶν οὗτοι —*. 346, 3. *Ἀραβίων δὲ — ἄλλοι οὗτοι νομάδες —*. 360, 18. *τοὺς Εἵλωτας οἰκέτας — οἰκετῶν ὄνομά εἰσιν οἱ Εἵλωτες.*

Consulto autem Clementem hanc notam addidisse ex praecedentibus, quae adscripsi, verbis intellegitur. Non mirum enim esse dixit Etruscos, homines barbaros, tam foeda sacra habere, cum ipsi quoque Athenienses ac reliqui Graeciae populi turpem de Cerere fabulam tenerent. Itaque cum hanc fabulam narraret, iterum monuit in ipsorum Atheniensium terra hoc factum esse tradi.

Quid quod eadem etiam in Eusebio (praep. ev. II,

3, 18), ubi maior quaedam Clementis pars laudatur, legimus? An verisimile est iam tum haec verba „ab interprete quodam margini adscripta in textum irrepsisse“?

68, 6.

„Οὐ γὰρ ποιήσεις“ φησὶν ὁ προφήτης, παντὸς ὁμοίωμα, ὅσα ἐν τῷ οὐρανῷ καὶ ὅσα ἐν τῇ γῇ κάτω.“ Hoc loco ex codice Oxoniensi aliquid restitui potest. Praebet enim: *ὅσα ἐν τῷ οὐρανῷ ἄνω καὶ ὅσα ἐν τῇ γῇ κάτω.*

Vocabulum *ἄνω* etiam apud Septuaginta est optimeque congruit ad alterum *κάτω*; praeterea facile fieri potuit, ut *ἄνω* post *οὐρανῷ* vel *ουνῳ*, ut scribebatur (cf. Vollgraff, Stud. Palaeogr. p. 74 ff.), excideret. Propterea hoc loco unum codicem Oxoniensem rectam praebere lectionem mihi quidem persuasum est.

100, 9.

Ἀνοίᾳ καὶ παρανοίᾳ ἐπ' αὐτὸ ὠθούμενοι τὸ βάραθρον. Dindorfius *ἐπ' αὐτό* scripsit unum Parisinum secutus. Sed cum et N et M praebeant *ἐς αὐτό*, sine dubio id in textu restituendum est.

104, 17.

Εἰ βούλεσθε οὖν τὰς φαντασίας ταύτας τὰς κενὰς ἀπορρίψαντες τῇ συνηθείᾳ αὐτῇ ἀποτάξασθαι, κενοδοξίᾳ ἐπιλέγετε, ψευδεῖς ὄνειροι χαίρετ', οὐδὲν ἦτ' ἄρα.

Sic scripsit Dindorfius ex solius Mutinensis auctoritate. N et P autem habent: *οὐ βούλεσθε . . ταύτας κενὰς . . . ἐπιλέγοντες.* Quae verba, si recte interpretamur, apta esse apparebit.

Nam si post ultimum versus vocabulum *ἄρα* interrogationis signum posuerimus, sensus hic erit: „Nonne igitur his inanibus commentis repudiatis ipsi consuetudini renuntiare vultis, vanae opinioni dicentes: „Valete inania somnia, nil enim fuistis“?

Itaque cum nihil impediat, melioris recensionis lectio retinenda est.

111, 3.

Μηδὲ τόδε δείμαινε, μή σε τὰ πολλὰ καὶ ἐπιτερπῆ φανταζόμενον ἀφέληται σοφίας.

His in verbis mendum inesse puto; nam quo vocabulum *φανταζόμενον* spectet, obscurum est. *Φαντάζεσθαι* enim significat: „apparere, videri“ = *φαίνεσθαι.*

Si interpretes respicis, conicias eos legisse *φανταζόμενα,* nam et interpres apud Potterum praebet: „nec metuas, ne te

voluptatum turba, quae animo tuo subinde se ingerit, a sapientia abducat“ et Reinkens l. c. p. 51 interpretatur: „Noli autem metuere, ne te multa illa et voluptaria simulacra, quae quasi umbrae animum identidem circumvolitant, a sapientia abducant“.

Itaque quam interpretes silentio praesumpserunt emendationem, eam ne textui quidem diutius denegandam esse puto.

122, 5.

Φιλότιμοι τοίνυν πρὸς τὰ καλὰ καὶ θεοφιλεῖς ἄνθρωποι γενώμεθα καὶ τῶν ἀπαθῶν τὰ μέγιστα, θεὸν καὶ ζωήν, κτησώμεθα.

Quid sibi velint *τῶν ἀπαθῶν τὰ μέγιστα, θεὸν καὶ ζωήν,* non intellego. Deus quidem a Clemente passim *ἀπαθής* nominatur, ut sanctam eius tranquillitatem significet. Attamen neque *τὰ ἀπαθῆ* apud Clementem inveni neque *ἀπαθὴς ζωή* rectum esse potest, cum *ἀπαθής* activa semper significatione usurpetur.

Facillima autem coniectura locus emendari mihi posse videtur, si scribimus *ΑΓΑΘΩΝ* pro *ΑΠΑΘΩΝ*.

130, 16.

Ὁ κύριος πάντα ὠφελεῖ . . . ., εἰς τὸ μὴ ἐξαμαρτάνειν παραπαιδαγωγῶν.

Sic praebent optimi codices F et M; Dindorfius autem deteriores BRPal. secutus *παιδαγωγῶν* scripsit, quamquam ipse in praefatione p. IX eos ex F fluxisse dixit. Neque interpretationis ratione *παιδαγωγῶν* poscitur. Optimum enim sensum habet *παραπαιδαγωγῶν,* Christum paulatim et placide, non severe et festinanter educare significans. Praepositionem autem *παρα* in eo, ex quo fluxerunt BRPal. codice — ipse autem ex F profectus est —, excidisse luce clarius est.

Sed tales errores plurimi sunt, cum Dindorfius multis locis maiorem fidem derivatis rivulis quam ipsi fonti habuerit. Eiusmodi exempla sunt:

130, 25. *ὁ ἄνθρωπος ἀγαθὸς ὤν* recte praebet M, in Florentino autem *ἄνθρωπος*, compendio scilicet *ἄνος* scriptum ante *ἀγαθός* excidit, BR denique articulum *ὁ* abiecerunt. Sed eos potissimum sequendos ratus est Dindorfius.

136, 10. *νεοττοὺς περιστερῶν — ὑπὲρ ἁμαρτίας κελεύει καὶ διὰ Μωυσέως προσφέρεσθαι.* Particula *καὶ* cum ex solo R addita sit, ex textu tollenda est.

141, 9. *ἔναγχος ἔγνωσται ὁ θεὸς κατὰ τὴν τοῦ Χριστοῦ παρουσίαν.* *Τοῦ* Dindorfius addidit unius R auctoritate nixus; at ne dicendi quidem usu requiri articulum satis multa exempla demonstrant; cf. 140, 6; 143, 6; 146, 23.

148, 21. *ζωὴν ἀΐδιον,* quod est in FM, in BR corruptum est in *ζωὴν αἰώνιον,* quod uno versu ante legitur (148, 20). Itaque cur Dindorfius *αἰώνιον* praeferat, equidem non intellego.

163, 13. *οὖν* particulam cum omisisset Pal., ex textu quoque immerito eiecit Dindorfius.

192, 7. *Ἀπόσχῃ* (in loco ex Prov. XXIII, 13 laudato) et Septuaginta et optimi Clementis codices FM praebent, Dindorfius autem *ἀπόσχου* ex BRPal. sumpsit.

218, 1. *Ἀποδόμενοι,* quod codices FNP habent, sine ulla causa in *ἀποδιδόμενοι* mutatum est.

227, 14. *Παραγγέλλεται,* quod in BRPal. exstat, perperam scriptum est pro *καταγγέλλεται* in FMNP codicibus tradito.

310, 8. Cum FNPV potius *τὸν ποδήρη τὸν κυρίου* legendum quam cum BMRPal. *τὸν ποδήρη τοῦ κυρίου.* Nam omnibus locis, quibus variarum lectionum sensus nihil differt, maxime quaerendum, quae in melioribus codicibus tradita sit scriptura.

336, 27. Dindorfius potius NR codicum auctoritate usus *πῆ φύγωμεν* scripsit quam *ποῖ φύγωμεν,* quod est in ceteris (BFMPPal.).

392, 20. Ne hic quidem erat, cur repudiata codicum FMNP lectione: *καθαρᾶς ἡδονῆς ἀποπνέουσα* ex BRPal. apographis Florentini textui insereretur: *καθαρὰς ἡδονὰς ἀποπνέουσα.* Nam genetivi post *ἀποπνέω* positi exempla etiam apud Clementem exstant (cf. I, 271, 22).

399, 6. „*Πάντα ὅσα ἂν αἰτήσεσθε ἐν τῇ προσευχῇ πιστεύοντες, λήψεσθε.* Vocabulum *ἄν,* quod est in BR, legitur quidem apud Matthaeum XXI, 22, attamen *ἐάν,* quod est in ceteris (FMNPPal.), exstat etiam apud Originem 3, 759 et 3, 762 edit. Ruaean. Par.

404, 10. *τὰ ὅλα δημιουργεῖ* (*ὁ λόγος*) cum BFNP codicibus retinendum est, non mutandum cum MRPal. in *ἄλλα.*

133, 14.

Ἔνθα (ἐν ἐκείνῳ τῷ αἰῶνι) τοῦ . . ἁγίου . . βίου . . τὰ ἔπαθλα, οὐκ ἄρρενι καὶ θηλείᾳ, ἀνθρώπῳ δὲ ἀπόκειται, ἐπιθυμίας διχαζούσης αὐτὸν κ ε χ ω ρ ι σ μ έ ν ο ν.

Clemens cum hoc capite Verbum ex aequo virorum et mu-

lierum Paedagogum esse exponeret, in aeterna vita sancte vivendi praemia proposita esse non viro et feminae dixit, sed homini. Quae omnia facile intelleguntur, sed verba *ἐπιθυμίας διχαζούσης αὐτὸν κεχωρισμένον* explicationem desiderant. Herveti quidem interpretatio lucem non affert. Nam quae apud eum leguntur: „cum eum quamdiu esset separatus, sciungat cupido“, inepta esse facile redarguas. Quod iam intellexit W. Lowthius, Ecclesiae cathedralis Winton. Praebendarius. Nam apud Potterum rectius fortasse legi *κεχωρισμένης* coniecit atque sic interpretatus est: „Cupiditate, quae ipsum divisit, nempe in marem et feminam, sublata“. Atque exspectatur talis sententia hoc loco. Sed constructionem *ἐπιθυμίας διχαζούσης κεχωρισμένης* inconditam esse neminem fugit. Faciliorem igitur emendationem propono: *κεχωρισμένῳ*, quod eundem fere sensum praebet atque Lowthii coniectura: „homini separato scilicet a cupiditate eum dividente, nempe in marem et feminam“.

156, 16.

In Evang. Joann. 6, 53 haec verba leguntur: *ἐὰν μὴ φάγητε τὴν σάρκα τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου καὶ πίητε αὐτοῦ τὸ αἷμα, οὐκ ἔχετε ζωὴν ἐν ἑαυτοῖς.* Quae paucis mutatis sic praebet Clemens: *φάγετέ μου τὰς σάρκας καὶ πίετέ μου τὸ αἷμα.* Sed hanc lectionem deteriores tantum codices BR habent, cum in ceteris FM scriptum sit: *φάγεσθε* et *πίεσθε.* Quae scriptura exstat etiam in catena Nicetae in Joannem 6, 57 (cf. Zahn Forschungen III, p. 18). Tales autem medii generis formae alibi quoque leguntur; Clem. I, 203, 4 (= Ezech. 18, 6) *ἐπὶ τῶν ὀρέων φάγεται.* I, 216, 10 (= Luc. 14, 15) *ὃς φάγεται ἄρτον ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ θεοῦ.* Luc. 17, 8 *μετὰ ταῦτα φάγεσαι καὶ πίεσαι σύ.* Sirach. 36, 23 *πᾶν βρῶμα φάγεται κοιλία.*

Itaque lectionem, quae tradita est in codicibus, mutare non necessarium est.

Paulo post 156, 22 legitur: *αἷμα τῆς πίστεως ἡ ἐλπὶς, ἐφ᾽ ἧς συνέχεται, καθάπερ ὑπὸ ψυχῆς, ἡ πίστις.* Pro *ἐφ᾽ ἧς* aptius scribi *ὑφ᾽ ἧς* vel ex insequenti dicto *ὑπὸ ψυχῆς* apparet. Quae lectio cum in Nicetae catena in Joan. l. c. tradita sit, in textu restituenda est.

170, 20.

Nimio interdum emendandi studio interpretandi artem parum adhibent viri docti. Cuius rei nobile exemplum hoc est:

Bywater (The Journal of Philol. (1872) Vol. IV. Nr. 8. p. 204) haec fere verba scripsit: post accuratam textus recensionem a Cobeto factam nonnulla restare emendanda in Protreptici et Paedagogi libris; exemplum se afferre ex pag. 131 Pott., ubi tres versus ex Mosis cantico (Deut. XXXII, 10—12) modo plane obscuro inducerentur eo: *λέγει δέ που διὰ τῆς ᾠδῆς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον εἰς αὐτόν· „αὐτάρκησεν τὸν λαόν κτλ.“* Quo loco *αὐτόν* omnino non posse intellegi, nisi praecederet nomen proprium. Propterea se conicere scripsisse Clementem: *λέγει δὲ Μωυσῆς, μᾶλλον δέ που διὰ τῆς ᾠδῆς κτλ.*

Quam coniecturam si in textu haberemus, textum emendandum esse fortasse aliquis censeret. Nam potueritne Clemens dicere spiritum sanctum cum Mose (*εἰς αὐτόν*) per canticum locutum esse, mihi quidem dubium est. Tamen Bywateri coniecturam *χαίρειν ἐάσομεν*, si ipsius Clementis verba intellexerimus. Sic autem interpretandum: „Dicit autem alicubi per canticum spiritus sanctus de eo“, nempe de Jesu Christo, paedagogo nostro, omnium hominum duce (170, 17 sq.). Significatione autem „dicere de aliquo“ (nostrum „in Beziehung auf“) usurpari *λέγειν εἴς τινα* vel *εἴς τι* exemplis allatis cognoscitur his: Xenoph. Comm. 1, 5, 1. *εἰ δὲ δή καὶ ἐγκράτεια καλόν τε κἀγαθὸν ἀνδρὶ κτῆμά ἐστιν, ἐπισκεψώμεθα, εἴ τι προὐβίβαζε λέγων εἰς αὐτὴν τοιάδε.* Dio Chrysost. Or. 32, p. 381 A. *ὃν (λόγον) εἰς Ὀρφέα καὶ ὑμᾶς ἔλεγεν.* Epist. ad. Ephes. 5, 32. *τὸ μυστήριον τοῦτο μέγα ἐστίν· ἐγὼ δὲ λέγω εἰς Χριστὸν καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν.*

Itaque nihil mutandum.

177, 2.

Τὸ ἀγαθὸν οὐ τῷ τὴν ἀρετὴν ἔχειν ἀγαθὸν εἶναι λέγεται, καθὸ καὶ ἡ δικαιοσύνη ἀγαθὸν εἶναι λέγεται οὐ τῷ ἀρετὴν ἔχειν — ἀρετὴ γάρ ἐστιν αὕτη — ἀλλὰ τῷ αὐτὴν καθ' αὑτὴν καὶ δι' αὑτὴν ἀγαθὴν εἶναι. Verba *„ἀρετὴ γάρ ἐστιν αὕτη“* corrupta esse videntur; offensioni est *αὕτη*. Pro qua *αὐτή* scribendum esse puto, quo facto sensus evadit hic: „ipsa enim virtus est“. Coniecturam facillimam esse apparet. Nam accentus et spiritus in antiquissimis libris manuscriptis omissos librarii recentioris aetatis ad suum arbitrium disposuerunt. Similem errorem invenimus etiam II, 233, 18. Legitur enim in loco ex Ezech. XVIII, 5—10 sumpto: *ἡ ψυχὴ ἁμαρτάνουσα αὕτη ἀποθανεῖται καὶ ἀνὴρ ὃς ἂν γένηται δίκαιος, ... ζωῇ*

ζήσεται. Cum animae ipsi nihil oppositum sit, cum LXX scribendum erit: *ἡ ψυχὴ αὕτη ἀποθανεῖται.*

186, 4.

Παντὶ σθένει ... ὁ θεῖος .. λόγος ... σώζειν ἐπιβέβληται τοὺς νηπίους, νουθετῶν ..., ἐλέγχων, ἀπειλούμενος, ἰώμενος, ἐπαγγελλόμενος, χαριζόμενος. Formae *ἀπειλούμενος* corruptio nata esse mihi videtur ex insequentibus participiis medii generis. Nam aliis locis Clemens activa semper verbi *ἀπειλεῖν* forma utitur velut I, 22, 12; 237, 5; 345, 19; 348, 4; II, 165, 9.

240, 12.

In Paedagogi libri secundi capite secundo, quomodo Christianos in potu se gerere oporteret, Clemens exposuit. Hoc igitur loco, ut decore et modeste biberent, praecepit. *Προνοητέον,* inquit, *μάλιστα τῆς εὐσχημοσύνης ..., ὡς ἀδιαστρόφῳ τῷ προσώπῳ πιεῖν, μὴ ἄδην σπάσαντας μηδὲ ... τοὺς ὀφθαλμοὺς ἀσχημονεῖν ἀναγκάζοντας, ἀμυστὶ ἕλκοντας ὑπὸ ἀκρασίας, μηδὲ περιχεῖν τὸ γένειον ἢ τὴν ἐσθῆτα καταβρέχειν, ἀθρόου τοῦ ποτοῦ ἐπεισχεομένου, μονονουχὶ ἐμπλύνοντα καὶ ἐναποκλυζόμενον ταῖς φιάλαις τὸ πρόσωπον τὸ αὐτῶν.* Si composuerimus verba *σπάσαντας, ἀναγκάζοντας, ἕλκοντας,* denique *τὸ αὐτῶν,* nemo — puto — a me dissentiet censente *ἐμπλύνοντας καὶ ἐναποκλυζομένους* esse restituenda.

277, 15.

In octavo capite libri secundi Paedagogi de unguentis et coronis loquitur Clemens eorumque nimium usum pestiferum et turpissimum esse demonstrat. Quod ut confirmaret, haec attulit: *οἱ μὲν γὰρ βακχεύοντες οὐδὲ ἄνευ στεφάνων ὀργιάζουσιν, ἐπὰν δὲ ἀμφιθῶνται τὰ ἄνθη, πρὸς τὴν τελευτὴν ὑπερκάονται.* Vocabulum *οὐδέ* corruptum esse videtur. Nam si interpretamur: „ne sine coronis quidem orgia sua celebrant" oppositum esset: „eoque magis coronati orgiis abstinent." Quod absurdum esse apparet. Si ab Herveto interprete Latino auxilium petieris, hoc invenies: „nec ii, qui bacchantur, absque coronis orgia sua celebrant, postquam autem flores circumposuerint, mirandum in modum incenduntur." Sed neque quae duo membra inter se opponantur, hac interpretatione cognoscitur, neque omnino Graeca verba redduntur. Nam si interpretationem contemplaris, exspectes in Graeco textu esse: *οὐδὲ γὰρ οἱ βακχεύοντες ἄνευ στεφάνων ὀργιάζουσιν κτλ.*

Itaque emendatione haud difficili remedium afferri puto, si pro *οὐδὲ* scribimus *ἤδη*. Quo facto sensus hic est: „Nam ii, qui bacchantur, iam sine coronis orgia sua celebrant (i. e. insaniunt), sed postquam flores circumposuerunt, tum demum maxime inflammantur.“

298, 20.

Nonnulla Heracliti fragmenta a Clemente solo nobis tradita sunt. De quibus qui egerunt viri docti, interdum obliti sunt ea interpretanda esse ex eo, quo traderentur, Clementis loco. Nam auctor iis non usus esset, nisi consensissent cum ipsius sententiis. Exemplum hoc afferam: Clemens ut neminem dei visum et potentiam effugere posse probaret, ex Sacra Scriptura et ex Heraclito locos attulit. Haec autem eius verba sunt: *„Οὐ γὰρ γινώσκει“ φησὶν ἡ γραφὴ „ὅτι ὀφθαλμοὶ κυρίου ὑψίστου μυριοπλασίως ἡλίου φωτεινότεροί εἰσιν, οἱ ἐπιβλέπουσι πάσας ὁδοὺς ἀνθρώπων καὶ κατανοοῦσιν εἰς ἀπόκρυφα μέρη.“ ταύτῃ τε πάλιν ὁ παιδαγωγὸς αὐτοῖς ἀπειλεῖ διὰ Ἡσαΐου λέγων· „οὐαὶ οἱ ἐν κρυφῇ βουλὴν ποιοῦντες, καὶ ἐροῦσι· τίς ἡμᾶς ὁρᾷ;“ λήσεται μὲν γὰρ ἴσως τὸ αἰσθητὸν φῶς τις, τὸ δὲ νοητὸν ἀδύνατόν ἐστιν, ἢ ὥς φησιν Ἡράκλειτος „τὸ μὴ δῦνόν ποτε πῶς ἄν τις λάθοι;“* Nonne omnia optime congruunt, dictumque Heracliti apte interpretari possumus? Nempe: quomodo fieri potest, ut lucem, quae numquam occidat, quis lateat? Tamen apud Dindorfium non *ἄν τις λάθοι* legitur, sed *ἄν τινα λάθοι.* Sic enim scribendum coniecerat Schleiermacherus et probaverat Mullachius in Fragmentis Philosophorum Graecorum I, p. 321. Ne id quidem sensu caret, si illud dictum solum per se respicimus; nam sic interpretatur Mullachius: „quomodo quemquam fugiat ignis numquam occidens?“ At enim si Clemens *τινά* legisset in Heracliti dicto, id profecto hic non attulisset.

Longe igitur abicienda coniectura *„τινά“*. Idem censuerunt fere omnes, qui recentiore aetate de Heraclito egerunt viri docti. Velut Ferd. Lassalle: „Die Philosophie Heraklits des Dunkeln von Ephesus“ 1858. II, 28, 1. Iisdem enim causis codicis lectionem *τις* praefert. *Τις* legitur etiam apud Bywater: „Heracliti Ephesii reliquiae“ 1877 pag. 12. frg. XXVII et apud Pfleiderer: „Die Philos. des Heraklit im Licht der Mysterienidee“ p. 137 et 232.

379, 6.

Clemens feminas domi manere et in opere esse iubens talisque vitae commoda explicans haec verba fecit: *Ἡ αὐτουργία*

ταῖς γυναιξὶν . . . τὸ γνήσιον ἐπιφέρει κάλλος γυμνάζουσα τὰ σώματα αὐτῶν καὶ σφᾶς αὐτὰς δι' αὐτῶν κοσμοῦσα, οὐ τὸν ὑπ' ἄλλων πεπονημένον προσφέρουσα κόσμον ἄκοσμον . . ., ἀλλὰ τὸν ἑκάστης σώφρονος γυναικὸς διὰ τῶν χειρῶν αὐτῆς, ὁπότε χρῄζοι μάλιστα, ἀρκούμενον καὶ ἐξυφαινόμενον· οὐ γὰρ . . καθήκει . . . ὠνητοῖς, ἀλλὰ τοῖς ἰδίοις ἔργοις κοσμουμένας φαίνεσθαι τὰς κατὰ θεὸν πολιτευομένας. Quae omnia satis clara sunt uno excepto verbo *ἀρκούμενον.* Quid enim significat *ὁ κόσμος ὁ διὰ τῶν χειρῶν αὐτῆς ἀρκούμενος?* Hervetus quidem interpretatur: „Mundus, qui per manus eius suppeditatur". At verbum *ἀρκεῖν* activa suppeditandi significatione adhiberi nullo certo exemplo probatur, immo passiva suppetendi significatione usurpatur. Passivi autem generis (*ἀρκεῖσθαί τινι*) nihil aliud significat forma quam contentum esse aliqua re.

Itaque *ἀρκούμενον* corruptum esse censeo ex *ἀσκούμενον.* Vocabulum *ἀσκεῖν* enim id ipsum significat, quod hic desideratur, nempe „arte et labore fabricare, elaborare aliquid". Cuius significationis duo exempla ex Homero afferam: Od. 23, 198 *ἑρμῖν' ἀσκήσας.* Ilias 23, 743 *ἀργύρεον κρητῆρα . . Σιδόνες πολυδαίδαλοι εὖ ἤσκησαν.*

Ἀσκεῖσθαι igitur idem vult quod *πονεῖσθαι,* quo supra usus est Clemens (379, 9). Cum utrumque verbum hac significatione rarissime apud solutae orationis scriptores legatur, alterum altero nititur hoc loco.

II, 39, 17.

Clemens ut demonstraret eos, qui malis dictis uterentur, nihil differre ab iis, qui in malis factis versarentur, haec scripsit:

ἡ γὰρ διαβολὴ ξίφους διάκονος, καὶ λύπην ἐμποιεῖ βλασφημία, quae Hervetus sic interpretatus est: „calumnia enim est ministra gladii et affert dolorem maledictum". Sed *ξίφους διάκονος* mihi quidem corruptum esse videtur. Quo enim modo „ministra gladii" explicari possit, non intellego. Idcirco pro *ξίφους διάκονος* conieceram scribendum esse *ξίφος δίστομον,* sed aptiorem emendationem suppeditavit mihi Iwan de Mueller, praeceptor dilectissimus, mutandum ratus in „*ξίφος διακονητόν*" atque aptissime calumniam gladium acerrimum nominari apparet.

57, 5.

Satis multis locis Stromatum libros ex fragmentis Hoeschelianis emendari posse supra diximus et exempla nos allaturos esse promisimus; quorum nonnulla nunc adscribam.

Primum exemplum non magni quidem momenti est, tamen commemoratu dignum. In Democriti dicto a Clemente laudato haec verba sunt: *γέας πλείστας εἶδον.* Quod pro *γέας* apud Eusebium (praep. ev. X, 4, 15) legitur *γαίας*, probavit Dindorfius in Addendis p. LI. Sed exstat etiam in illis fragmentis, unde restituendum est.

58, 4. Pro *Μαλιαίων*, quod est in L., potius scribendum esse *Μαλιέων* coniecerat A. Meineke (Analecta Alexandrina 1843 p. 32). Quae coniectura probatur eadem fragmentorum Hoeschelii lectione.

59, 11. *Τῶν Σαρμανῶν οἱ ὑλόβιοι προσαγορευόμενοι . . . δένδρων ἀμφιέννυνται φλοιοῖς.* Vocabulum *φλοιοῖς* est Sylburgii coniectura pro *φλυοῖς*, quod est in L. Tamen ne sic quidem formam rectam esse puto. Nam verbum *ἀμφιέννυσθαι* non cum dativo, sed cum accusativo coniungitur. Itaque cum fragmentis Hoeschelianis *ἀμφιέννυνται φλοιούς* legendum est.

59, 21. Pro *κρεοφαγοῦντας* MSH meliorem formam *κρεωφαγοῦντας* praebent, quam omnino in Clemente scribendam esse dixit Dindorfius II, 297, 1 adnot.

163, 3. *Ἐγχειρίζονται ἡμῖν οἱ περὶ θεοῦ λόγοι καὶ οἱ θεῖοι λόγοι αἱ ἐντολαὶ σὺν τῇ καταπράξει τῶν παραγγελμάτων.* Pro verbis *οἱ θεῖοι λόγοι αἱ ἐντολαί* in MSH legitur: *αἱ θεῖαι ἐντολαί*, rectissime; Laurentiani lectio nata est ex dittographia verbi *λόγοι* post *θεῖαι*, cum prius post *θεοῦ* scriptum sit.

238, 2. *ἐπιμελομένην.* Rarissima forma est *ἐπιμέλεσθαι* pro *ἐπιμελεῖσθαι*, quod semper apud Clementem legitur, duobus tantum exceptis locis, hoc et altero quodam (III, 262, 18). Itaque cum hoc loco MSH formam *ἐπιμελουμένην* servaverint, omnino hanc formam restituendam esse censeo.

275, 20. Memoratu digna lectio ex MSH et Ottob. adnotata est ad locum ex Epist. ad Timoth. I, 4, 1 sumptum: „*ἐν ὑστέροις καιροῖς ἀποστήσονταί τινες τῆς πίστεως προσέχοντες πνεύμασιν πλάνοις καὶ διδασκαλίαις δαιμονίων*“. Pro *πλάνοις* fragmenta illa legunt *πλάνης*. Utraque lectio sensum fere eundem praebet. Sed scripturae *πλάνης* maior auctoritas accedit duobus Originis locis (3, 639 et 3, 697 edit. Ruaean. Par.)

comparatis, quibus et ipsis *πλάνης* scriptum est. Tamen *πλάνοις* hoc loco retinendum est, cum paulo post II, 296, 22 idem *πλάνοις* nobis traditum sit.

337, 1. In loco ex Platone (Phaedon. p. 114. B) laudato haec feruntur: *οἳ δὲ δὴ ἂν δόξωσι διαφερόντως πρὸς τῷ ὁσίως βιῶναι προσκεκλῆσθαι.* Pro *τῷ βιῶναι* ex MSH adnotatum est *τὸ βιῶναι*, quod dicendi usu commendatur. Et quoniam in Platonis et Theodoreti, qui eodem loco bis usus est, codicibus *τό*, non *τῷ*, traditum sit, *τό* etiam Clementem scripsisse verisimile est.

349, 2. Pro *Αἰσώπιοι* potius scribendum est cum MSH *Αἰσώπειοι.* Idem error iam saepius ex MSH emendatus est: *Ὑπερβόρειοι* II, 417, 11. *Ἀριμάσπειοι* II, 417, 12. *Πυθαγόρειος* II, 58, 15.

362, 11. *Ἐμὲ μὲν γὰρ Ἄνυτός τε καὶ Μέλητος ἀποκτείνειεν μέντ' ἄν, βλάψειεν δ' ἂν οὐδ' ὁπωστιοῦν.*

Socratis dictum praeter Clementis consuetudinem sine ulla, unde sumptum sit, nota legitur. Itaque verba, quae sunt in MSH *φησὶ Σωκράτης* post *ἐμὲ μὲν γάρ* potius a Clemente ipso, quam a scholiasta quodam addita esse puto.

III, 35, 7. Symbolis barbaros quoque usos esse Clemens demonstrans duo exempla narrat, alterum de Idanthura, Scytharum rege, qui Dario murem, ranam, avem, sagittam, aratrum misit, alterum de Anacharside. Prius quidem his verbis incipit (III, 34, 20): *φασὶ γοῦν καὶ Ἰδανθούραν τὸν Σκυθῶν βασιλέα, ὡς ἱστορεῖ Φερεκύδης ὁ Σύριος κτλ.*, alterum autem (III, 35, 7): *Ἀνάχαρσίν τε τὸν Σκύθην φησί κτλ.* Pro *φησί* hoc loco MSH praebent *φασί*, quod praeferendum esse videtur. Nam *φησί* referri quidem potest ad *ὡς ἱστορεῖ Φερεκύδης ὁ Σύριος*, sed tanto spatio intermisso non verisimile est.

78, 1. *Τόν τε Χριστιανὸν βίον ἐμφαίνων.* In MSH *Χριστιανῶν* est neque discerni posset, utra lectio a Clemente profecta sit, nisi fragmentorum scripturam tueretur etiam Eusebius praep. ev. XIII, 13, 17.

150, 8. *αὐχμοῦ ποτὲ τὴν Ἑλλάδα πολυχρονίως φθείροντος.* MSH praebent *πολυχρονίου*, quod equidem praefero; nam aptius „siccitate diuturna vastari terram" dicitur quam „siccitate diu vastari terram".

150, 17. Pro vitiosa forma *ἐκτετύπει* (*βροντὴ ἐξαίσιος*) Hoeschelius ex epitome Augustana *ἐκτύπει* suppeditat. Quae lectio uno quoque Eusebii codice commendata magis mihi placet

quam *ἐπεκτύπει*, quod Dindorfius ex aliis Eusebii codicibus sumpsit.

154, 4. *πολλοῦ καττα ῤῥ ήξαντος ὄμβρου*. Forma *καταῤῥήξαντος* corrupta est, nam *καταῤῥήγνυσθαι* activa tantum deiciendi, deripiendi significatione adhibetur neque passivam vim habet, ut significet „fundi, demitti". MSH habent *καταρράξαντος*, vitiosam formam pro *καταράξαντος* in codicibus manuscriptis saepissime inventam; quare *καταράξαντος ὄμβρου* scribendum esse puto. cf. Pseudoaristot. de mundo 2 (III, 629, 17. ed Paris.) *ὄμβροι καταράσσουσιν*. Diod. 17, 75, 2 *εἰς τὸ χάσμα καταράττων ὁ ποταμός*. Polyb. 10, 48, 7 *πλαταμῶνας, εἰς οὓς καταράσσει (ὁ Ὦξος ποταμός)*. Athen. 9. p. 393 *οἱ στάντες ἐπὶ τὸ χεῖλος καταράσσουσιν*.

179, 1. *ἀρχὴ καὶ δημιουργὸς πάσης λογικῆς πράξεως εἴη ἄν, ὥστ' αὖ εἰκότως ταύτῃ μόνῃ χαρακτηρίζεται ἡ τῆς λογικῆς ἰδιότης ψυχῆς*. Quod nunc legitur *χαρακτηρίζεται*, est Sylburgii coniectura pro *χαρακτηρίζετο* (L). Hoc ipsum autem corruptum est ex *χαρακτηριζοιτο* (MSH et Ottob.). Quod restituendum puto, ita tamen, ut *ἄν* addatur vel potius *αὖ* in *ἄν* mutetur; nam *αὖ* facile ex *ἄν* corruptum esse potest, praesertim cum nec de hoc verbo L et MSH consentiant. Nam in his *οὖν* scriptum est.

186, 24. *εἴ τις ὁμολογεῖ καρδίαν μὴ ἔχειν διηρθρωμένην, τράπεζαν οὐκ ἔχει τὴν τῶν ἀργυραμοιβῶν, οὐδὲ μὴν τὸ κριτήριον τὸν λόγον*. Quaeritur, quid sit *καρδία διηρθρωμένη*. Hervetus quidem interpretatur: cor recte formatum; at *διαρθροῦν* est articulare, in membra disiungere, deinde clare explicare. Quae omnia hic non apta sunt. Ad rectam scripturam propius accedit MSH lectio *διηρθωμένην*, quam corruptam puto esse ex *διωρθωμένην*, qua voce continetur ipse, qui desideratur sensus: „correcte formatum, in rectum statum redactum".

237, 4. *οὐ περὶ τὴν λέξιν ἀλλὰ περὶ τὰ σημαινόμενα ἀναστρεπτέον· τοῖς μὲν οὖν ἀντιληπτοῖς καὶ μὴ κινηθεῖσι πρὸς γνῶσιν οὐ πιστεύεται ὁ λόγος, ἐπεὶ καὶ οἱ κόρακες ἀνθρωπείας ἀπομιμοῦνται φωνὰς ἔννοιαν οὐκ ἔχοντες οὗ λέγουσι πράγματος, ἀντίληψις δὲ νοερὰ πίστεως ἔχεται*.

Locum sic interpretamur: „Non est morandum in dictione, sed quid illa significetur, spectandum. Ab iis igitur, qui (*ἀντιληπτοῖς καὶ* nunc omitto) ad cognitionem pervenire non student, verbum non creditur; nam corvi quoque voces imitantur huma-

nas eius quam dicunt rei nihil intellegentes; sed si quis sensum assequi (sensus particeps fieri) studet, proxime ad fidem accedit.“ In his omnibus nihil est, quo offendimur, sed quid *ἀντιληπτοῖς* significet, plane obscurum est. Ab interprete Latino, ut fere nusquam, ne hoc quidem loco auxilium peti potest. Quae enim praebet: „iis quidem, quae apprehendi possunt et non mota sunt ad cognitionem, verbum minime creditur“, ea non minus sensu carent quam Graeca. Illud autem satis constat, *ἀντιληπτοῖς* corruptum esse, nam passiva tantum significatione adhibetur *ἀντιληπτόν*, id, quod apprehenditur vel apprehendi potest, significans. Hoc autem loco activa significatio desideratur, ut etiam *κινηθέντες* non sunt ii, qui moventur (scilicet ab aliis), sed qui ipsi progrediuntur, incedunt, contendunt. Activam autem formam praebet MSH lectio *ἀντιληπτικοῖς*. *Ἀντιληπτικός* enim is est, qui paratus est ad apprehendendum, qui in apprehensione versatur. Sed ne tum quidem, cum *ἀντιληπτικοῖς* textui reddiderimus, sanum locum esse iam Potterus vidit corruptionisque remedium proposuit emendans sic: *οὐκ ἀντιληπτικοῖς*, voce *οὐ* ante *πιστεύεται* deleta; sic autem sententiam se habere dixit: „His igitur, qui non sunt ad percipiendum apti neque ad cognitionem moventur, creditur verbum“. Quod effatum exemplo corvorum illustrare auctorem Potterus putavit. Sed talis interpretatio cum Clementis de fide sententia pugnat. Neque enim sententia eius haec esse potest, eos, qui non cognoscere studeant, non longius progredi quam ut credant, sed potius eos, qui cognoscere non studeant, eo magis non credere, nam paulo post ipse dixit cognitionem proxime accedere ad fidem (*ἀντίληψις νοερὰ πίστεως ἔχεται*). Deinde nobis non licet putare Clementem eos, qui fidem haberent, comparavisse cum corvis. Nam *πίστις* omnino apud Clementem etiam cognoscendi vim habet, velut paucis post eum, qui *πίστιν* assecutus esset, cognitionis quoque participem esse dixit: *τῷ πίστιν εἰληφότι τὸ γνώσεως μεταλαβεῖν οἰκεῖον* III, 237, 13.

Potteri igitur coniectura textum non emendari apparet. Fortasse maior corruptio est una scilicet voce omissa, quam si restituerimus, locum interpretari possumus. Scribendum enim puto *τῆς λέξεως ἀντιληπτικοῖς*, quo facto optime inter se congruunt sententiae: „Non respicere oportet dictionem, sed significationem et sensum; nam qui in dictione morantur (nostrum „die sich an die Worte hängen“) neque id student, ut cogni-

tionem assequantur, non ad *πίστιν* perveniunt, quippe cum etiam corvi humanis vocibus utantur, quae quid significent, non respiciunt".

Haec exempla sufficiunt ad demonstrandum ex MSH nonnunquam remedium peti posse corrupti in Laurentiano textus.

II, 69, 26.

In septimo decimo primi Stromatum libri capite Clemens contra eos disputat, qui philosophiam Graecam a Diabolo ortam esse, Deum autem idcirco eius auctorem (*τῆς φιλοσοφίας αἴτιον*) esse contenderant, quod non prohibuisset eam fieri. Demonstrare autem studet omnino eum, qui non prohibuerit aliquid fieri, eius rei non dici posse auctorem (*ὁ μὴ κωλύων οὐκ αἴτιός ἐστιν*). „Achilles" inquit „idcirco, quod Hectorem non arcuit, navium incendii auctor dici non potest, fortasse pars culpae ei tribuenda erat (*συναίτιος ἦν*)". Porro id, quod non prohibet, omnino non causa alicuius rei fieri potest (*τὸ μὲν μὴ κωλυτικὸν οὐδ' ὅλως αἴτιόν ἐστιν*), sed id, quod prohibet, causa alicuius rei fieri potest (*τὸ δὲ κωλυτικὸν ἐνέχεται τῷ τοῦ αἰτίου ἐγκλήματι*). Nam is, qui clipeo protegit, ei, qui protegitur, auctor est salutis (*αἴτιος τοῦ μὴ τιτρώσκεσθαι*), probibens eum sauciari. Huc usque omnia bene se habent, sed pergit Clemens: *καὶ τῷ Σωκράτει τὸ δαιμόνιον αἴτιον ἦν οὐχὶ μὴ κωλῦον, ἀλλὰ προτρέπον, εἰ καὶ μὴ προέτρεπεν.* Quod quin corruptum sit, nemini dubium esse potest. Nam omnino non id agitur, quo modo id, quod monet vel incitat, alicuius rei causa fieri possit, sed quomodo id, quod prohibet, causa rei esse possit. Itaque Lowthius scribendum censuit *οὐχὶ μὴ προτρέπον, ἀλλὰ κωλῦον* delendaque esse sequentia: *εἰ καὶ μὴ προέτρεπεν.* Primam quidem coniecturam Potterus probavit, sed sequentia retinuit, eumque secuti sunt Klotzius et Dindorfius. Sed Clementem sic scripsisse persuaderi mihi non potest. Apta quidem est altera pars, nempe posterior, et sententiae Clementis convenit daemonium eo, quod interdum prohibuerit, ad Socratis facta valuisse (*τῷ Σωκράτει τὸ δαιμόνιον κωλῦον αἴτιον ἦν*). Attamen quid sibi vult illud „*οὐχὶ μὴ προτρέπον*"? Primum quidem verba *εἰ καὶ μὴ προέτρεπεν* non posse tolerari, si praecedat *οὐχὶ μὴ προτρέπον* cuivis attente legenti clarum est.

Deinde quid Clementis intererat affirmare daemonium non quod non praeceperit, apud Socratem auctoritatem habuisse? Quod per se luce clarius erat. Atque plane aliam sententiam hoc loco exspectamus. Nam opponuntur inter se *τὸ μὴ κωλῦον* vel *κωλυτικόν* (= *οὐκ αἴτιον*) et *τὸ κωλῦον* (= *αἴτιον*). Haec igitur Clementis sententia esse debet: *τῷ Σωκράτει τὸ δαιμόνιον αἴτιον ἦν οὐχὶ μὴ κωλῦον, ἀλλὰ κωλῦον, εἰ καὶ μὴ προέτρεπεν.* Quem sensum assequimur facillima correctione, una scilicet littera ρ abiecta, si scribimus: *ἀλλ' ἀποτρέπον* pro *ἀλλὰ προτρέπον* reliqua intacta relinquentes.

Quo facto evadit sensus, quem aptum esse cognoscatur hac interpretatione: „Apud Socratem daemonium aliquid efficiebat, non cum non prohibebat, sed cum avertebat vel declinabat, etsi non incitabat".

161, 24.

Οὔτε τῆς ἀρίστης παιδεύσεως ὄφελός τι ἄνευ τῆς τοῦ μανθάνοντος παραδοχῆς οὔτε μὴν προφητείας οὔτε τῆς τῶν ἀκονόντων εὐπειθείας μὴ παρούσης. Locum corruptum esse quivis intelleget, si eum interpretari conatus erit. Sed uno verbo *οὔτε* post *προφητείας* offendimur. Quod si quasi dittographiam sustulerimus, locum correctum esse puto. Tum enim interpretari possumus: „Neque optimae doctrinae aliquis usus est nisi is, qui docetur, praecepta accipit, neque prophetiae usus nisi ii, qui audiunt, oracula percipiunt et credunt".

162, 22.

Βραδεῖα γνῶσις μετάνοια, γνῶσις δὲ ἡ πρώτη ἀναμαρτησία. Haec magis interpretem, quam criticum desiderant, nam variae exstant explicationes. Quaeritur enim, utrum *ἡ πρώτη* cum *γνῶσις* an cum *ἀναμαρτησία* coniungendum sit. Hervetus quidem sic interpretatur, *ἡ πρώτη* scilicet cum *ἀναμαρτησία* coniungens: „est enim tarda cognitio poenitentia; cognitio autem est innocentia ab ipso principio". Eumque secutus esse videtur John Kaye (The Writings and Opinions of Clement of Alexandria p. 112), qui sic interpretatur: „Repentance is tardy knowledge, innocence from the first is knowledge".

At *ἡ πρώτη* cum *γνῶσις* coniungendum est. Nam prioris sententiae subiectum, quod vocant, est *μετάνοια.* Antea enim cum dixisset ab iudicantibus respici oportere, num suorum quemque peccatorum poeniteret, tum poenitentiam tardam esse cognitionem addidit. Quod ut explicaret, quid tardae cognitioni

oppositum sit, adiecit. Opponitur autem *τῇ βραδείᾳ γνώσει* non *γνῶσις*, sed *γνῶσις ἡ πρώτη*, cognitio scilicet ab ipso initio, quae est innocentia vel eius, qui nunquam omnino peccavit, status. Sic igitur distinguendum: *γνῶσις δὲ ἡ πρώτη — ἀναμαρτησία*. Quod probavit etiam Reinkens l. c. p. 120.

211, 15.

Τριττὰ εἴδη φιλίας διδασκόμεθα καὶ τούτων τὸ μὲν πρῶτον . . τὸ κατ' ἀρετὴν . ., τὸ δὲ δεύτερον καὶ μέσον, κατ' ἀμοιβὴν, . . τὸ δὲ ὕστατον καὶ τρίτον ἡμεῖς μὲν τὸ ἐκ συνηθείας φαμὲν, οἱ δὲ τὸ — καθ' ἡδονὴν τρεπτὸν καὶ μεταβλητόν. Si comparaveris inter se *τὸ κατ' ἀρετήν — κατ' ἀμοιβήν — τὸ ἐκ συνηθείας — τὸ καθ' ἡδονὴν τρεπτόν*, a secundo membro articulum errore tantum omissum esse coniceres. Et legitur *τὸ κατ' ἀμοιβήν* bis apud Ioannem Damascenum in Sacris Parallelis 356 et 714. Itaque articulum in Clemente quoque restituamus.

315, 23.

Initio libri quarti Stromatum, quae sibi tractanda proposuisset, enumeravit Clemens. Ubi cum se in mente habere, quid de principiis (*περὶ ἀρχῶν*) cogitassent Graeci et barbari, exponere et de placitis philosophorum (*περὶ τῶν τοῖς φιλοσόφοις ἐπινενοημένων*) se acturum esse dixisset, sic pergit: *οἷς ἑπόμενον ἂν εἴη μετὰ τὴν ἐπιδρομὴν τῆς θεολογίας τὰ περὶ προφητείας παραδεδομένα διαλαβεῖν.* Verbo *θεολογίας* offenditur Reinkens l. c. p. 143, id haud dubie pro *φιλοσοφίας* irrepsisse dicens, quod aperte postularet orationis consequentia. Reinkensii opinionem rectam futuram esse apparet, si *μετὰ τὴν ἐπιδρομὴν τῆς θεολογίας* ad supra memorata de philosophia scripta spectaret. Sed illis verbis de novo potius scripto sibi proposito nos docuit, *ἐπιδρομή* enim est brevis tractatio alicuius rei (cf. II, 315, 8). Et auctorem de libro *περὶ θεολογίας* cogitasse vel potius eum conscripsisse ex alio loco cognoscimus III, 404, 18: *ὅπερ ἐν τῇ ἀρχῶν καὶ θεολογίας ἐξηγήσει ὑπάρχει μαθεῖν.*

III, 27, 24.

Hoc loco de Dei nomine יְהוָה egit Clemens, haec autem eius verba sunt: *τὸ τετράγραμμον ὄνομα τὸ μυστικὸν, ὃ περιέκειντο οἷς μόνοις τὸ ἄδυτον βάσιμον ἦν· λέγεται δὲ Ἰαοὺ, ὃ μεθερμηνεύεται ὁ ὢν καὶ ὁ ἐσόμενος.* Illud nomen quomodo Clementis aetate pronuntiatum sit, magni momenti est. Sed

Ἰαού in uno codice Florentino exstat, cum codices a Pottero p. 1031 adnotati, Fragm. in cod. Seguer. 308 et Reg. 1825 *ἰαοῦε* praebeant, Reg. 1888 *ἰὰ οὐέ*, quod idem fere est. Eandem sine dubio rectam lectionem tuetur etiam Catena Nicephori in Octateuchon I, 833. Ceterum *δέ* quoque post *λέγεται* et punctum ante *λέγεται* abiciendum est cum Catena.

52, 26.

Libri Stromatum quinti caput undecimum sic incipit: *Θυσία δὲ ἡ τῷ θεῷ δεκτὴ σώματός τε καὶ τῶν τούτου παθῶν ἀμετανόητος χωρισμός· ἡ ἀληθὴς τῷ ὄντι θεοσέβεια αὕτη καὶ μή τι εἰκότως μελέτη θανάτου. διὰ τοῦτο εἴρηται τῷ Σωκράτει ἡ φιλοσοφία* (Dind.).

Neque secundam neque tertiam partem sensum praebere apparet. Primum quidem interpunctio corrigenda est secundum Potteri editionem: *ἡ ἀληθὴς τῷ ὄντι θεοσέβεια αὕτη· καὶ μή τι εἰκότως μελέτη θανάτου διὰ τοῦτο εἴρηται τῷ Σωκράτει ἡ φιλοσοφία;* Sed nunc quoque uno verbo offendor, particula *μή*. Nam si hac voce interrogationes inducuntur, fere semper responsum negans exspectatur, quod hic minime convenit. Praeferamus igitur MSH scripturam *μέντοι* et interrogationis signo abiecto sic interpretemur: „Iure profecto idcirco meditatio mortis a Socrato philosophia appellata est“.

58, 20.

Locus, de quo nunc agemus, sumptus est ex Platonis Republica 7, 532 A. Primus Bywater l. c. p. 214 locum Platonis comparavit, sed falso adnotavit 7, 553. Tantum autem differt Clemens a Platone, ut nonnulla corrigenda in Clemente videantur.

Tamen ut loci facilius inter se comparentur, utrumque adscribam:

Plato Rep. VII, 532 A.

οὕτω καὶ ὅταν τις τῷ διαλέγεσθαι ἐπιχειρῇ, ἄνευ πασῶν τῶν αἰσθήσεων διὰ τοῦ λόγου ἐπ' αὐτὸ ὃ ἔστιν ἕκαστον ὁρμᾷ, κἂν μὴ ἀποστῇ, πρὶν ἂν αὐτὸ, ὃ ἔστιν ἀγαθὸν, αὐτῇ νοήσει λάβῃ, ἐπ' αὐτῷ γίγνεται τῷ τοῦ νοητοῦ τέλει, ὥσπερ ἐκεῖνος τότε ἐπὶ τῷ τοῦ ὁρατοῦ.

Clemens III, 58, 20 sqq.

δυνατὸν δὲ κἂν τῷ διαλέγεσθαι <τὸ καταμαντεύεσθαι τοῦ θεοῦ>, ἐὰν ἐπιχειρῇ τις ἄνευ πασῶν τῶν αἰσθήσεων διὰ τοῦ λόγου ἐπ' αὐτὸ ὃ ἔστιν ἕκαστον ὁρμᾶν καὶ μὴ ἀποστατεῖν <τῶν ὄντων>, πρὶν <ἐπαναβαίνων ἐπὶ τὰ ὑπερκείμενα> αὐτῷ, ὃ ἔστιν ἀγαθὸν, αὐτῇ νοήσει λάβῃ, ἐπ' αὐτῷ γινόμενος τῷ τοῦ νοητοῦ τέλει.

Maxime eo inter se locos differre videmus, quod apud Clementem verborum coniunctio est: *ἐὰν ἐπιχειρῇ ὁρμᾶν*, apud Platonem *ἐὰν ἐπιχειρῇ, ὁρμᾷ*. Quod discrimen totum tollitur aliter distinguendo. Deinde verba, quae uncis inclusi, a Clemente addita sunt, quae cur eiciamus, non habemus. Porro id quoque Clementi condonandum est, quod pro *ἀποστῆναι* scripsit *ἀποστατεῖν*. Sed *αὐτῷ, ὅ ἐστιν ἀγαθόν* aperte corruptum est ex *αὐτὸ, ὅ ἐστιν ἀγαθόν*.

Quare sic scripsisse Clementem puto: *δυνατὸν δὲ κἂν τῷ διαλέγεσθαι, τὸ καταμαντεύεσθαι τοῦ θεοῦ ἐὰν ἐπιχειρῇ τις, ἄνευ πασῶν τῶν αἰσθήσεων διὰ τοῦ λόγου ἐπ' αὐτὸ, ὅ ἐστιν ἕκαστον, ὁρμᾶν καὶ μὴ ἀποστατεῖν τῶν ὄντων, πρὶν ἐπαναβαίνων ἐπὶ τὰ ὑπερκείμενα αὐτὸ, ὅ ἐστιν ἀγαθὸν, αὐτῇ νοήσει λάβῃ, ἐπ' αὐτῷ γινόμενος τῷ τοῦ νοητοῦ τέλει.*

201, 14.

Ὡς ἔοικεν οὖν ἡ δικαιοσύνη τετράγωνός ἐστι πάντοθεν ἴση καὶ ὁμοία ἐν λόγῳ, ἐν ἔργῳ, ἐν ἀποχῇ κακῶν, ἐν εὐποιίᾳ, ἐν τελειότητι γνωστικῇ, οὐδαμῇ οὐδαμῶς χωλεύουσα, ἵνα μὴ ἄδικός τε καὶ ἄνισος φανῇ.

Post *τετράγωνος* iustitiam in quattuor partibus eandem esse Clementem dixisse verisimile est. Nunc autem leguntur quinque, quorum aut unam eicere aut duas in unam coniungere oportet. Quod factum invenimus apud Ioannem Damascenum, ubi Par. Vat. 438 legitur *λόγῳ καὶ ἔργῳ*. Unde Clementis textus emendandus est.

Ex eodem Ioanne Damasceno alius quoque locus Clementis corrigi potest III, 399, 14, ubi *καί* excidit inter duo verba; Par. Vat. 383 autem recte praebent *συνεχώρησε καὶ εἶξεν*.

319, 9.

Quam neglegenter Dindorfius in textu Clementis recensendo egerit, cum aliis tum hac quoque re ostenditur. Plurimis enim locis Clemens voce *μοναί* usus est, ut significaret sedes caelestes, quas Iesus Christus nobis paravit in regno patris (cf. Ev. Ioann. 14, 2). Quod verbum plus semel falso accentu (*μόναι*) scripsit Dindorfius, unde complures loci obscuri facti sunt.

Scribendum igitur erat:

319, 9. *παρεπίδημος καὶ ξένος τῶν τῇδε κληρονομάτων, μονῶν τῶν ἰδίων μεμνημένος* (sc. *ὁ γνωστικός*).

328, 28. *γνωστικὸς, τέλειος . . ., ἵνα δὴ καὶ ἔργῳ καὶ λόγῳ καὶ αὐτῷ τῷ πνεύματι προσεχὴς γενόμενος τῷ κυρίῳ τὴν*

μονὴν ἐκείνην τὴν ὀφειλομένην τῷ οὕτως ἀπηνδρωμένῳ ἀπολάβῃ.

409, 11. *δοὺς τὰ διολλύμενα τοῦ κόσμου μονὴν τούτων αἰώνιον ἐν οὐρανοῖς ἀντιλαμβάνει.*

375, 24.

Ζητεῖται εἰ πολλὰ κατὰ σύνοδον ἑνὸς αἴτια γίνεται πολλά. οἱ γὰρ ἄνθρωποι συνελόντες αἴτιοί εἰσι τοῦ καθέλκεσθαι τὴν ναῦν.

Offendimur vocabulo *πολλά* post *γίνεται*, quare id eiciendum censuit Bywater l. c. pag. 218. Faciliorem equidem correctionem praefero *πολλοί* pro „*πολλά. οἱ*" scribens, puncto scilicet post *γίνεται* posito.

Pro *συνελόντες* vel, ut Sylburgius coniecit, *συνέλκοντες*, ob praecedens vocabulum *σύνοδον συνελθόντες* scribendum esse censeo. Eandem emendationem etiam Bywaterum proposuisse postea demum vidi.

389, 5.

De iuvene divite haec leguntur: *ὁ πάντα τὰ τοῦ νόμου πληρώσας . . ἓν τοῦτο πραθῆναι τοῖς ὅλοις οὐ δεδύνηται, τὸ τοῦ σωτῆρος ἐξαίρετον.*

Pro corrupta voce *πραθῆναι* Lagarde (Symmicta I, p. 17) proposuit *παραθεῖναι*, sed *προσθεῖναι* et propius ad codicis scripturam accedit et sententiae magis convenit.